



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

Liber Secundus De Rebus Ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)




LIBER SECUNDUS

INSTITUTIONUM CANONICARUM.

Libro primo de jure Personarum subjungimus secundum de rebus Ecclesiasticis. Sunt autem res Ecclesiasticae vel spirituales vel temporales; Spirituales sunt, quae spiritui deservunt, animae causâ institutae,

ut Sacramenta, &c. Temporales, quae non tam spiritus, quam corporis gratia, veluti praedia, domus, decima, pro honesta factorum Ministrorum sustentatione & usu sunt comparatae.



TITULUS PRIMUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

Quaeres primo. An ad Canonistam de Sacramentis agere pertineat? R. cum Abbate Caramuele. Sacramentorum materia nec bene à puro Theologo, nec sufficienter à solo Canonista tractatur, Theologus siquidem in quidditatem Sacramenti, ejus materiam & formam, causas, effectus, ad dignam illius administrationem vel susceptionem requisita inquirat, & quid veritatis sit, concludit, in quibus omnibus Canonistam R. D. Schnorrenberg Instit. Jur. Can.

ita fidem habet Theologo, ast econtra plura à Canonista discit Theologus; nam quibus, quo loco & tempore, quo ritu & formâ applicanda vel conferenda sint Sacramenta, uberiùs tradunt sacri Canonnes, & docent explicatiùs.

Quaeres secundo. Quid est Sacramentum? R. Est sacrum, seu rei sacrae signum. Can. Sacrificium. 32. dist. 2. de consecrat. Sive est invisibilis gratiae visibile signum ad nostram sanctificationem institutum.

Ii

Qua-

Quæres *tertio*. Quot sunt Sacramenta? *ꝛ.* Juxta septem in Ecclesia hominum diversitates sunt septem Sacramenta: *1^{um}* intrantium, Baptismus. *Secundum* pugnantium, Confirmatio. *3^{ium}* vires resumentium, Eucharistia. *4^{um}* resurgentium, Pœnitentia. *5^{um}* exeuntium, Extrema Unctio. *6^{um}* ministrantium, sacer Ordo. *7^{um}* novos milites introducentium, Matrimonium.

Quæres *quarto*. An omnia Sacramenta necessaria?

ꝛ. 1^{mo}. Quædam Sacramenta sunt necessaria, eò quòd sine periculo salutis æternæ prætermitti vel contemni nequeant, cum ad particularem cujusque profectum sint instituta, ut Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema Unctio. Quædam sunt voluntaria, quæ sine dispendio salutis pro cujusque arbitrio recipi vel non recipi possunt, ut Ordo sacer & Matrimonium.

ꝛ. 2^{do}. Quædam absolutè & necessitate mediæ necessaria sunt, ut Baptismus, quædam necessitate præcepti, ut Eucharistia, & volenti suscipere Ordines Confirmatio. *Trid. sess. 23. cap. 4. de refor.* Quædam necessaria sunt ex suppositione, ut Pœnitentia illi, qui in mortale peccatum incidit, quædam respectu Ecclesiæ necessaria sunt, ut Ordo, quia per ipsum ministri creantur, & matrimonium, quia per propagationem in Ecclesia multitudo Fidelium augetur & conservatur.

Quæres *quinto*. Quæ Sacramenta iterari possunt? *ꝛ.* Quæ characterem imprimunt, iterari non possunt, ut Baptismus, Confirmatio, & sacer Ordo, cætera, quæ characterem non impri-

munt, ut Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, matrimonium iterari non prohibentur. Unde versus:

Fons, Ordo, Chrisma non, cætera sunt iteranda.

Quæres *sexto*. An omnia Sacramenta contentent materiâ & formâ? *ꝛ.* Constant elemento & verbo, elementum est res, quæ sub visibili natura invisibilem gratiam designat, verba sunt, quæ formæ visibilis gratiam expriment, & accedente verbo ad elementum fit Sacramentum.

Quæres *septimo*. Quis Author Sacramentorum? *ꝛ. Trident. Sess. 7. de Sacrament. in genere. can. 1.* definit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à JESU Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Dicuntur tamen Sacramenta Ecclesiæ, tum quia Ecclesia per Sacramenta sanctificata est, & cœlesti Sponso matrimonii fœdere conjuncta, tum quia Sacramentorum administratio concedita est Ecclesiæ ministerio.

Quæres *octavo*. An mali ministri Sacramenta administrare possint? *ꝛ.* Qui baptizat, qui absolvit, &c. Dominus est, ministri autem Ecclesiæ in conficiendis vel dispensandis Sacramentis nudum sibi vendicant ministerium, cum non propriam, sed ejus, qui Sacramenta instituit, referant personam. Unde quamquam eos inculpato esse deceat, si tamen mali sint, vel à Catholica communione sejuncti, nihilominus Sacramenta secundum se validè conficiunt & dispensant; veluti enim per lapideos canales ad areolas aqua diffunditur, & Solis radii per loca fœditissima transeun-

tes

tes nullâ contactûs commaculatione contaminantur, sic multò magis Sacramenta nullâ ministri fœditate maculantur. Et definiuit *Trident. Sess. 7. de Sacrament. in genere. can. 12.* his verbis: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum consiciendum aut conferendum pertinent, seruiaverit, non consecrere aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Quæres nono. Qualis in ministro requiritur intentio? Debet ministri & Ec-

clesiæ concors esse intentio, idè si aliud agere intendat, puta: sacris illudere Mysteriis, aut aliud, quod Ecclesiæ non consentiat, nihil agit, quanvis enim sine fide spiritualis potestas exerceri valeat, non tamen sine intentione Ecclesiæ.

Quæres decimo. An omnia Sacramenta conferant gratiam? R. Omnia in non ponentibus obicem. Definiuit *Trident. Sess. 7. can. 6. 7. & 8.* Ac ita reprobata est opinio *Glossæ in can. is igitur. dist. 23. verbo: pro beneficiis. & in can. honorentur. caus. 13. q. 2. verbo: dispensata.*

TITULUS SECUNDUS

DE

BAPTISMO

EX ipsis propemodum verbis Canonum explicabimus §. 1^{mo} diversitatem, excellentiam & institu-

tionem Baptismi. §. 2^{do} essentialia. Et §. 3^{tio} cæremônias Ecclesiæ in administratione Baptismi adhiberi solitas.

§. Primus.

DE

Diversitate, Excellentia & Institutione Baptismi.

Quæres primo. Quotuplex est Baptismus? R. cum *glossa in can. firmissimè. 3. caus. 15. q. 1.* est triplex: Baptismus fluminis, fluminis & sanguinis. Id est: Sacramentum Baptismi, contritio, & martyrium.

Quæres secundo. Quomodo martyrium est Baptismus? R. Baptismi vicem implet passio. *Can. Baptismi. 34. dist. 4.*

de consecrat. In illis, qui pro Christi nomine suo sanguine baptizantur. *Can. firmissimè. 3. caus. 15. q. 1.* dummodò adsit charitas, sine qua non sufficit ad salutem subire martyrium. *Gloss. in cit. can. firmissimè. verb. per Baptismum.* Carentia charitatis talis est macula, quæ nec sanguine abluitur. *Can. neque. 3. dist. 90.* Comparatio martyrii cum Baptismo fit

in can. Catechumenum. 37. dist. 4. de consecrat. In Martyrio tota Baptismi Sacramenta complentur, baptizandus confitetur fidem suam, & interrogatus respondet, hoc & Martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua vel intingitur, & hic vel aspergitur sanguine vel contingitur igne. Ille manûs impositione Pontificis accipit Spiritum Sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritûs Sancti, dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat Eucharistiæ in commemoratione mortis Domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renunciaturum: hic ipsi renunciat vitæ. Illi peccata omnia remittuntur: in isto extinguuntur.

Quæres *tertio*. Quomodo contritio habet rationem Baptismi? *re.* Non tantum passio pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerrat, potest supplere, sed etiam fides conversioque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. *Can. Baptismi. 34. dist. 4. de consecrat.* Ideoque de Judæo inter solos Judæos existente, qui in mortis articulo se ipsum in aquam immererat, dicendo: Ego me baptizo in nomine &c. *in cap. debitum. 4. de Baptismo.* dicitur: *Quod si talis continuo discessisset, ad coelestem Patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.* Generale hoc est, quod tunc solum proficit Baptismus sanguinis & flaminis, cum Baptismum fluminis non contemptus

Religionis, sed articulus necessitatis excludit. *Cit. can. Baptismi.*

Quæres *quarto*. Quid est Sacramentum Baptismi? *re.* Est visibile Sacramentum aquæ ad ablutionem visibilis Corporis, & sanctificationem invisibilis Animæ. *Can. necessarium. 1. dist. 4. de consecrat.* Sive: est ablutio corporis exterior, quæ adhibitâ certâ verborum formâ interiori animæ ablutionem significat & operatur; hæc enim duo in Sacramento Baptismi necessariò requiruntur, videlicet verbum & elementum, juxta quod de verbo Veritas ait: *Euntes in mundum universum predicate Evangelium omni creatura. Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti,* eadèmq; dicit de elemento: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* Unde dubitandum non est, illos verum non habere Baptismum, in quibus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum. *Cap. non ut apponeres. 5. de Baptismo.*

Quæres *quinto* Quibus nominibus appellatur Baptismi Sacramentum? *re.* Dicitur *1mo* Sacramentum fidei, quia imprimis in fide Christi consecratur, & in fide Ecclesiæ conficitur, deinde in nomine Sanctissimæ Trinitatis confertur. *3tio* signum est, quod suscipiens habeat fidem scilicet vel actu vel habitu. *Glossa in can. nihil. 76. dist. 4. de consecrat.* *4to* appellatur prima tabula, & penitentia secunda tabula, quia inter procellas hujus mundi navigamus, tendentes ad patriam, & incurrimus naufragium ex peccato primo hominis, quo morte addicti somus, sicut igitur prima

tabula est navis, secunda tabula est scapha, quâ in naufragio periculum vitamus, ita prima tabula est Baptismus, ubi purgatur vetus homo, & induitur novus, secunda tabula est pœnitentia, quâ post Baptismum resurgimus. *Can. secunda. 72. dist. 1. de pœnitentia, junctâ glossâ. 5to* dicitur fundamentum & janua reliquorum Sacramentorum. *cap. 2. de cognat. Spirit. in 6. quia reliquis Sacramentis omnibus prior est, & magis necessarius.*

Quæres sexto. Quæ dignitas hujus Sacramenti? R. Prærogativæ præ reliquis Sacramentis sunt: 1mo est janua salutis. *can. cum itaque. 112. dist. 4. de consecrat. in fine. 2do.* Baptismus potest suscipi sine aliis Sacramentis, aut non alia Sacramenta sine Baptismo, quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest. *Cap. veniens. 3. de Presbyt non baptizato. 3tio.* Potest à quocunque dari Baptismus, non autem alia Sacramenta. Sive Hæreticus, sive Schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione Sanctissimæ Trinitatis baptizat, validè baptizat. *Can. si ve. 51. dist. 4. de consecrat. 4to.* Per Baptismi virtutem omnia peccata, originale, mortale & veniale remittuntur, non per reliqua Sacramenta. Regenerante Spiritu non solum originale, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum. *Can. regenerante. 136. dist. 4. de consecrat.*

Quæres septimo. Quomodo differt Sacramentum Baptismi à Baptismo Joannis? R. Sacramentum Baptismi non est in aqua tantum, verum etiam in Spiritu Sancto, ut de illo Spiritu regeneretur, quisquis in Christum credit, de quo Christus regeneratus regenerationem

non cognovit. Non regenerabantur, qui Baptismo Joannis baptizabantur, sed quodam Præcursoris illius ministerio, qui dicebat: parate viam Domino, huic uni, scilicet Sacramento Baptismi, in quo solo renasci poterant, parabantur. *Can. non regenerabantur. 135. dist. 4. de consecrat. Trid. Sess. 7. de Baptismo. can. 1.* Baptismus Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi dicentes anathematizat.

Quæres octavo. Quandoam Baptismus institutus? R. Concordandæ sunt sententiæ, quas refert Glossa in *can. ex quo. 6. dist. 4. de consecrat. verb. ad innovationem.*

1mo. Materiam Baptismi Christus consecravit, quando à Joanne in Jordane baptizatus est; quare enim Christus descendit in aquam, nisi ut caro ista mundaretur, caro, quam suscepit de nostra conditione, non enim ablucio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit, sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii. *Can. per aquam. 9. dist. 4. de consecrat.* "Nunquam aquæ Baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici Corporis sanctificatæ fuissent." *cit. can. nunquam. 10. dist. 4. de consecrat.* "In aqua igitur baptizari voluit à Joanne, non ut ejus iniquitas ulla deleretur, sed ut magna commendaretur humanitas, ita quippe nihil in eo Baptismus habuit, quod ablueret, sicut mors nihil, quod puniret, invenit." *cit. can. non regenerabantur.*

2do. Necessitatem Baptismi Christus annuntiavit, dum Nicodemo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* 3tio.

310. "Efficaciam Baptismo in morte
"dedit, quia tunc regenerationis poten-
"tiam sanxit, quando de latere ipsius
"profluxerunt sanguis redemptionis &
"aqua baptismatis." *Can. si quis. 14. dist. 4. de consecrat.*

410. "Postquam resurrexit à mortuis,
"Discipulis suis, in quibus omnes Ec-
"clesiarum Præsules docebantur, & for-
"mam & potestatem tradidit baptizandi,
"dicens: Euntes docete omnes gentes,
"baptizantes eos in nomine &c. de quo
"utique potuisset eos ante passionem in-
"struere, nisi propriè voluisset intelli-
"gi regenerationis gratiam ex resurrectio-
"ne cœpisse." *Can. propriè. 13. dist. 4. de consecrat.*

510. Baptismus in festo Pentecostes
promulgatus est: "quia eo die, quo om-
"nium Credentium numerum promissus
"Spiritus Sancti replevit adventus,
"trium millium populorum suâ prædi-
"catione conversum lavacro baptismatis
"consecravit S. Petrus promulgans
"pœnitentiam agite, & baptizetur unus-
"quisque vestrum in nomine JESU
"Christi in remissionem peccatorum, &
"accipietis donum Spiritus Sancti." *Cit. can. propriè.*

Quæres nono. Quis baptizat principa-
liter? R. Christus institvens hoc Sacra-
mentum; "Aliud est enim baptizare per
"ministerium, aliud baptizare per po-
"testatem, hanc potestatem Christus so-
"lus tenuit, & in neminem ministrorum
"transfudit, quamvis per ministros suos
"baptizare dignatus sit." *Can. aliud. 39. dist. 4. de consecrat.* "Quos baptizavit
"Joannes, Joannes baptizavit, quos

"autem baptizavit Judas, Christus
"baptizavit: sic ergo quos baptizavit
"ebrius, quos baptizavit homicida,
"quos baptizavit adulter, si Baptis-
"ma Christi erat, Christus bapti-
"zavit, quod Sacramentum tam
"sanctum est, ut nec homicidâ mi-
"nistrante polluatur." *Can. dedit. 46. caus. 1. q. 1.*

Quæres decimo. Quibus Sacramentis
ante Legem Evangelicam usitatis corre-
spondet Baptismus? R. In tempore ante
legem parvuli in fide parentum, adulti
in fide Sacrificiorum à peccatis munda-
bantur, in tempore legis adulti & par-
vuli per circumcisionem justitiam conse-
quebantur; "Quod igitur apud nos va-
"let aqua baptismatis, hoc egit apud
"veteres, vel pro parvulis sola fides, vel
"pro majoribus sola virtus sacrificii, vel
"pro his, qui de Abrahæ stirpe prodie-
"runt, mysterium circumcisionis." *Can. quod autem. 5. dist. 4. de consecrat. junctâ gloss.*

Quæres undecimo. In quo Baptismus
antecellit circumcisionem? R. "Plus
"hodiè confert Baptismus Christianis,
"quàm quondam contulit circumcisio
"Judæis, quoniam etsi originalis culpa
"remittebatur per circumcisionis myste-
"rium, & damnationis periculum vitaba-
"tur, non tamen perveniebatur ad Re-
"gnum cœlorum, quod usque ad mor-
"tem Christi fuit omnibus oblatum,
"sed per Sacramentum Baptismi Christi
"sanguine rubricati culpa remittitur,
"vitatur periculum, & ad Regnum cœ-
"lorum statim pervenitur, cujus ja-
"nuam Christi Sanguis fidelibus suis
"mi-

“miseri corditer referavit.” *Cap. majores. 3. de Baptismo.*

Quæres duodecimo. Quanta Baptismi necessitas? R. Hæc constat ex dicto S. Augustini in *can. firmissimè. 3. dist. 4. de consecrat.* “Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in utero matris vivere incipiunt, & ibi moriuntur: sive cum de matribus nati sine Sacramento sancti Baptis-

“matis, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti datur, de hoc Sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos: quia etsi propriæ actionis nullum peccatum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem conceptione & naturâ traxerunt.” Ideo *Trid. Sess. 7. can. 5. de Baptismo: Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est: non necessarium ad salutem, anathema sit.*

§. Secundus.

D E

Essentialibus Baptismi.

Quæres primo. Quænam Essentialia Baptismi? R. Illa brevibus complectitur Innocent. III. in *cap. firmiter. 1. de sum. Trinitate. §. una verò.* Sacramentum Baptismi, quod ad Dei invocationem & individua Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum proficit ad salutem.

Quæres secundo. Quæ materia remota Baptismi? R. Est aqua elementalis. “Renascitur homo ex aqua, visibili Sacramento, & Spiritu invisibili intellectu, ut signum Baptismi visibiliter accipiat, & spiritalem intellectum ipsius Symboli perficiat.” *Can. necessarium. 1. dist. 4. de consecrat.* Ideo ad quæstionem: An parvuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis propter aquæ penuriam & absentiam Sacerdotis,

aliquorum simplicitas in caput & pectus ac inter scapulas pro Baptismo salivæ conspersione lenivit, respondit *Innocentius IV.* negativè, quia in Baptismo duo semper, videlicet verbum & elementum, id est. aqua, necessariò requiruntur. Hinc *Trid. Sess. 7. can. 2. de Baptis. Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, anathema sit.*

Quæres tertio. Quæ materia proxima? R. Ablutio, quæ an per immersionem, ita, ut ipse baptizandus aquæ immergatur, an per affusionem sive aspersionem fiat, ut nimirum aqua affundatur ipsi baptizando, perinde est, non una olim fuit, nec hodie est omnium Ecclesiarum disciplina, quæ diversitas unitati Ecclesiæ non officit, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. *Can. de Trina. 80. dist. 4. de consecrat.* Nam

1 mo.

1mo. In can. multi, 82. dist. 4. de consecrat. Pelagius Papa præcipit trinam etiam immersione sanctum Baptisma unicuique tribuere. 2do. In can. propter, 85. dist. 4. de consecrat. Cum Ariani Hæretici ex trina illa immersione Trinitatem essentiae in Personis Divinis arguerent, Patres Concilii Toletani 4ti decreverunt: Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum simplicem teneamus Baptismi immersionem. 3tio. S. Gregorius in cit. can. de Trina, ait: Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter vel semel immergere: quando & in tribus immersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. 4to. Paulus V. in Rituali Romano: Baptismus licet fieri possit aut per affusionem aquæ, aut per immersionem, aut per asersionem, primus tamen & secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur. 5to demum Agenda nostræ: Optimus baptizandi modus est tenere puerum manu sinistra supra fontem, & manu dextera ter aquam affundere super caput pueri, ut per scapulas ejus defluat.

Quæres quarto. Quæ essentialis Baptismi forma? R. 1mo. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ita enim Dominus docuit Apostolos: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Can. multi, 82. dist. 4. de consecrat. 2do. Si quis non diceret: Ego te baptizo, puer non esset baptizatus. Cap. 1. de Baptismo. 3tio. Qui vel unam de Trinitate Personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset. Can. in Syno-

do. 83. dist. 4. de consecrat. 4to. Si quis omittit pronomen: Ego, dicendo: baptizo te, bene baptizet, quia pronomen subintelligitur, & nec Christus addidit pronomen dicendo: Ite, baptizate &c. Gloss. in can. multi, cit. verb. Trinitatis. 5to. Græci ne actum Baptismi ministris attribuant, ad evitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant, dicendo: Ego sum Paulus, ego sum Cephas, dicunt: Baptizetur servus Christi talis in nomine Patris &c. Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum invocatione Trinitatis, verum perficitur Sacramentum; forma enim realis est attendenda, non verbalis. Gloss. in cit. can. multi, 6to. Sub nominibus synonymis bene confertur Baptismus, ut si quis diceret: Baptizo te in nomine Genitoris, & Nati, & sancti Flamini; non tamen sic: In nomine Paternitatis, Filiationis, & processione ab utroque. Nec: Mergo te in nomine Patris &c. quia mergo non est synonymum cum verbo baptizo. Nec: Baptizo in nomine trium Personarum. Gloss. in cit. can. multi, 7timo. De eo, qui nesciens Latini eloquii infringens linguam dixerat: Baptizo te in nomine Patriæ, & Filia, & Spiritus Sancta. In can. retulerunt. 86. dist. 4. de consecrat. Respondetur: si non errorem inducens neque hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.

Quæres quinto. An valeat Baptismus in nomine Christi collatus? Responsio affirmativa videtur colligi ex can. à quodam.

dam. 24. dist. 4. de consecrat. ubi Nicolaus Papa ad consultationem Bulgatorum: A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Ad quod ita respondet Pontifex: Hi profecto si in nomine Sanctissima Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idem est, ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos. Quem textum ita exponit glossa in cap. 1. de Baptismo. In nomine Trinitatis intelligitur explicitè, & quod sequitur in nomine Christi tantum, dispositum illud fuit ab Apostolis ex causa, ut in principio baptizarent in nomine Christi, in quo verbo intelligitur unguens inunctus, & per quem ungitur, id est: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; sed hodiè non servatur forma illa, tamen si aliquis sic hodiè baptizaretur sub his verbis, baptizatus esset, licèt fieri non debeat. Responsum negativam Doctor Angelicus 3. p. 9. 66. a. 6. probat ex can. si revera. 30. dist. 4. de consecrat. Ubi Pelagius Papa de iis, qui ab Hæreticis baptizati, respondet: Si solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse confiteantur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in sancta Trinitatis nomine baptizabis. Rationem dat S. Doctor in O. non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, sed sensibilibus verbis Trinitas exprimenda, unde & in Baptismo Christi, unde fuit origo sanctificationis nostri Baptismi, adfuit Trinitas in sensibili
R. D. Schnorrenberg Instit. 7. Can.

libus signis, scilicet Pater in voce, Filius in natura humana, Spiritus Sanctus in columba. In responsum ad 1. 2. Et 3. tum ad can. a quodam. supra cit. dicit, quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. Aliam hujus dispensationis congruentiam dedit S. Ambrosius, quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur, aliàs absque speciali dispensatione ejus, qui virtutem suam Sacramenti non alligavit, quidquid deest ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Sacramenti.

Quæres sexto. Qualis debeat esse, qui baptizatur? R. 1. mo. Debet esse homo natus; quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest, neque enim dici re-generatio in eo poterit, quem generatio non præcessit. Can. qui in maternis. 115. dist. 4. de consecrat. Si mulier parturiens baptizetur, nihil in hoc participat mater infanti, qui nascitur, propterea, quod uniuscujusque propria voluntas in confessione monstratur. Can. si qua mulier. 116. dist. 4. de consecrat. Baptizari tamen vel enixam mulierem, vel hoc, quod genuerit, si periculo mortis urgetur, vel ipsa hora eadem, quâ gignit, vel hoc, quod gignitur, eadem, quâ nata est, nullo modo prohibetur, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis medium quaritur, interveniente paululùm mo-

K k

"râ

râ inveniri non valeat, qui redimatur. "
Can. baptizari. 3. dist. 5.

2do. Debet esse distinctus à baptizante, quia inter baptizantem & baptizatum discretionem intercedere oportet, colligitur ex verbis Domini Apostolis dicentis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ad quod etiam designandum ipse Christus non à se ipso, sed à Joanne voluit baptizari. "In Baptismo quippè illa spiritualis regeneratio celebratur, de qua Veritas ait: Oportet vos nasci denuò, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cœlorum. Sicut ergo in carnali generatione, quâ proles ex viro & fœmina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius, qui carnaliter gignitur, sic in Sacramentali generatione, quâ Soboles ex aqua & Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse, qui spiritualiter generet, & alius, qui spiritualiter generetur." *Ita Pontifex in cap. debitum. de Baptismo.*

3tio. Non sit baptizatus, quia per iterationem fit injuria Baptismatis Sacramento. *Cap. ex literarum, 2. de Apostat.* Per Baptismum enim infigitur animæ imago sive pictura quædam aut character, unde si alia imago superponeretur, illa prima pictura obscuraretur, & ita videtur obfuscari primum Sacramentum. *Gloss. in cit. cap. ex literarum. verbo. injuriam.*

Doctor Angelicus 3. p. 9. 66. a. 9. in O. quatuor affert rationes, ob quas Baptismus iterari non possit. 1ma. Quia Baptismus est quædam spiritualis rege-

neratio, sicut ergo unius tantum una est generatio carnalis, ita quoque tantum unius una potest esse regeneratio spiritualis. 2da. In morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, & resurgimus in novitatem vitæ, Christus autem tantum semel mortuus est, ergo & homo per Baptismum semel tantum mori & resurgere potest. 3tia. Quia Baptismus imprimit characterem indelebilem, & cum quadam consecratione datur, consecrationes autem ejusdem rei non iterantur. 4ta. Quia Baptismus principaliter datur ad delendum peccatum originale, sicut ergo originale peccatum non iteratur, ita nec Baptismus.

Quæres septimo. An baptizandi, de quibus nescitur, aut dubitatur, an baptizati sint? R. "Si nulla existant indicia, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifestè pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum, ideòque conferendum iis videtur, quod collarum esse nescitur, quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis, inquit Leo Papa, "*Can. si nulla. 113. dist. 4. de consecrat.*

2do. "De quo dubium est, an sit baptizatus vel non, debet baptizari, qui si prius baptizatus non fuerat, confertur gratiam Baptismi, si autem baptizatus erat, nihil accipit in secunda Unctione, nec pertinet hoc ad reiterationem Baptismi, sed ad cautelam salutis." *Can. Presbyr. 2. §. quod ergo. dist. 68.* Baptizandus est autem hi. verbis:

bis: "Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c." *Cap. de quibus. 2. de Baptismo.*

3^{to}. "Qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur." *Cap. veniens. 3. de Presbyt. non baptizato.* Et si talis revera sine unda Baptismatis extremum clausisset diem, quia in sanctae Matris Ecclesiae fide & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum & caelestis Patriae gaudium assecutum esse asserendum est incunctanter, cum juxta S. Augustinum invisibiliter Baptismus administretur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit. *Cap. Apostolicum. 2. de Presbyt. non baptiz.*

4^{to}. Si puer in necessitate baptizatus, & Sacerdos cognoscat certò infantem ritè in aqua sub debita verborum forma baptizatum, tunc nec simpliciter, nec sub conditione est rebaptizandus, sed ea faciet Sacerdos, quae post Baptismum fieri solent, at si verè dubitet, quod semper tutius, an ritè aqua naturali, & sub debita verborum forma baptizatus, rebaptizandus est sub conditione. *Ita Agenda, seu Rituale Coloniense.*

Quaeres octavo. Quae poenae rebaptizantium? *Re. 1^{mo}.* Qui bis ignoranter baptizati sunt, secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat, qui autem ignari iterum baptizati sunt, quasi iterum crucifixissent

Christum, per septem annos poenitere debent. *Can. qui bis. 117. dist. 4. de consecrat.*

2^{do}. Qui rebaptizat, si publicum est crimen, ad superiores Ordines promoveri non valet. *Cap. ex literarum. 2. de Apostatis.* Graeci, qui baptizatos à Latinis rebaptizare temerario ausu praesumunt, excommunicationis mucrone percussi, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponuntur. *Cap. licet. 6. de Baptismo.*

Quaeres nono. Quae dispositiones requiruntur in baptizando?

Re. 1^{mo}. In parvulo baptizando nulla requiritur dispositio; quia peccatum originale, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur. *Sacramenti. cap. majores. 3. de Baptismo.* Dispositiones supplet Ecclesia; nam Mater Ecclesiae os maternum parvulis praestat, ut sacris Mysteriis imbuantur: quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. *can. mater. 159. dist. 4. de consecrat.* Ac ita parvulus fidem habet propter fidei Sacramentum, & convertit se ad DEUM propter conversionis Sacramentum, ac ipsum fidei Sacramentum fidelem facit. *can. nihil. 76. dist. 4. de consecrat.*

2^{do}. Adultus, qui nunquam consensit, sed penitus contradicit, nec reir, nec characterem suscipit Sacrament: quia plus est expressè contradicere, quam minimè consentire: sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus & reclamans thurificare cogitur idolis violenter. *Cap. majores. 3. §. Item queritur. de Baptism.*

K k 2

3^{to}.

310. Sed facienda est distinctio inter invitum & invitum, coactum & coactum. Qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui fictè ad Baptisum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ, ut fidem, quam necessitate suscepit, tenere cogatur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides, quam suscepit, vilis & contemptibilis habeatur. *cit. cap. majores.*

40. Sicut autem ad suscipiendum suscipit voluntas habitualis, ita ad excludendum contradictio habitualis. Ideo dormientes & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perstiterunt; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: etsi sic fuerint immeriti, characterem non suscipiunt Sacramenti. Secus autem, si prius Catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis articulo Ecclesia consuevit baptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obstantem. *cap. majores, cit.*

50. Ut ab adulto fructuosè suscipiatur Baptismus, conditiones sequentes à Trident. Sess. 6. cap. 6. graphicè descriptæ requiruntur: 1^{mo}. Fides. "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ gratiâ & adjuvi fidem ex auditu concipientes liberè moventur in

"DEUM, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis à DEO justificari impium per gratiam ejus & per redemptionem, quæ est in Christo JESU."

2^{do}. Timor. "Et dum peccatores se esse intelligunt, à Divinæ justitiæ timore utiliter concutiuntur." 310.

Spes. "Ad considerandam DEI misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes DEUM sibi propter Christum propitium fore." 40.

Amor DEI initialis. "Et illum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt." 50. Pœnitentia sive dolor de peccatis. "Ac propterea moventur ad-

versus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est: per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet." 60. Propositum vitæ Christianæ. "Demum proponunt suscipere Baptismum, inchoare vitam novam, & servare Divina mandata." Has dispositiones singulas tam necessarias probat Trident. loc. cit. Ut: Fidem, Hebr. 11.

Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit. 2. Spem, Matth. 4. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 3. Timorem, Eccles. 1. Timor Domini expellit peccatum. 4. Pœnitentiam, Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. 5. Demum propositum vitæ Christianæ, Matth. ult. Euntes docete omnes gentes, docentes eos servare, quacunque mandavi vobis. Et 1. Reg. 7. Preparate corda vestra Domino.

Quæres decimo. An Infideles ad Baptismum cogendi? 3. 1^{mo}. "Nemini ad

"cre-

“credendum vis inferri debet (cui enim
 “vult, DEUS miseretur) nec tales in-
 “ti salvandi sunt, sed volentes, ut inte-
 “gra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo
 “proprii arbitrii voluntate serpenti obe-
 “diens perit: sic vocante se gratiâ DEI,
 “propriæ mentis conversione homo
 “quique credendo salvatur. Quapro-
 “pter non vi, sed liberi arbitrii facul-
 “tate, ut convertantur suadendi, non
 “potius impellendi sunt Infideles.” *can.*
de Judæis. 5. dist. 45. can. ad fidem. 33.
caus. 23. q. 5.

2do. Judæis non sunt auferendi par-
 vuli eorum, & baptizandi: quia sicut
 nec adulti, ita nec parvuli ad fidem vi
 trahendi sunt: Religioni etenim Chri-
 stianæ est contrarium, ut invitus & con-
 tradicens ad servandam Christianitatem
 quis compellatur. *cap. majores. de Baptis.*
Quippe Christi fidem habere non creditur,
qui ad Christianorum Baptismum non spon-
taneus, sed invitus cogitur pervenire. cap.
sicut Judæi. 9. de Judæis.

3tio. Hi tamen, qui procreati de mu-
 lieribus infidelibus & viris fidelibus, ac
 econtra, Christianam tequantur Reli-
 gionem, & ne parentum ultra invol-
 vantur erroribus, ab eorum consortio
 separandi deputentur aut monasteriis,
 aut Christianis viris, aut mulieribus
 DEUM timentibus, ut sub eorum con-
 versatione cultum fidei discant, atque
 in melius instituti tam in moribus, quam
 in fide proficiant. *Can. Judaorum, 11.*
caus. 28. q. 1.

4to. Si unus ex infidelibus conjugibus
 convertatur ad fidem, infans non doli
 capax sequitur meliorem conversi condi-

tionem. Secus est, si doli capax esset;
 tunc enim non nisi spontè baptizandus
 est. *Cap. ex literis. 2. de convers. Infido-*
lium. junct. gloss.

Quæres undecimo. Quis Baptismi mi-
 nister?

1o. Minister solemnitatis est solus
 Sacerdos: quia constat Baptisma solis
 Sacerdotibus esse tractandum, ejusque
 ministerium nec ipsis Diaconis explere
 est licitum absque Episcopo vel Presby-
 tero, hoc est: sine licentia Episcopi vel
 Presbyteri. *Can. constat. 19. dist. 4. de*
consecrat.

2do. Si quis baptizaverit (intellige
 solemniter) non ordinatus, propter te-
 meritatem est ab Ecclesia abjiciendus, &
 nunquam ordinandus. *Cap. 1. de Clerico*
non ordinat. 3tio. Si ultima languoris ne-
cessitas cogat, & Laicis fidelibus bapti-
zare permittitur, ne quisquam sine re-
medio salutari de sæculo evocetur. cit.
can. constat. can. in necessitate. 21. ibid.
can. ad limina. 7. caus. 30. q. 1. 4to.
 Mulier, quamvis docta & sancta aliquos
 baptizare non præsumat, intellige: dum
 vir adest, qui in necessitate baptizet. *can.*
mulier. 20. dist. 4. de consecrat. 5to. S.
 Augustinus relatus in *can. solet. 31. dist.*
4. de consecrat. Circa ministrum ejusque
 intentionem has format quæstiones: So-
 let, inquit, quæri: 1mo. Utrùm ap-
 probandum sit Baptisma, quod ab eo,
 qui non accepit, accipitur, si fortè cu-
 riositate aliquâ didicit, quemadmodum
 dandum sit. 2. Utrùm nihil intersit, quo
 animo accipiat ille, cui datur, cum simu-
 latione, an sine simulatione: si cum
 simulatione, utrùm fallens, sicut in Ec-

clesia, vel in ea, quæ putatur Ecclesia.

3. An jocans, velut in mimo.

Respondet S. Pater ad *1^{um}*: "Nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque & à quibuscunque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent, quamvis eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ infererentur Ecclesiæ. Si enim habeam fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ad *2^{dum}* respondet: Non dubito etiam illos habere Baptismum, qui quanquam fallaciter illum accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia, ab eis, in quorum societate sunt, eum accipiunt: de quibus dictum est: ex nobis exierunt. Ad *3^{ium}* non vult respondere, dicendo: Ubi autem nulla societas esset ita credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè, & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, Divinum Judicium implorandum esse censerem." Respondet tamen *Gloss.* Si baptizans intendit baptizare, qualemcunque intentionem baptizandus habeat, recipit Sacramentum: sed si non intendit baptizare, licet verba proferrat, non est baptizatus: quia verba debent servire intentioni. Hæc opinio *Glossæ* firmatur ex propositione 28^{va} ab Alexand. VIII. anno 1690 damnata: *Valet Baptismus collatus à ministro, qui omnem ritum externum formamque Baptismi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo, quod facit Ecclesia.*

Quæres *duodecimo*. Qui effectus hujus Sacramenti?

1^o. Per Baptismum Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram omnium peccatorum remissionem consequentes. *Trident. Sess. 14. cap. 2.*

2^{do}. Crimina tantum dimittuntur in Baptismo: non illa, quæ secundum Domini præcepta & DEI instituta complentur; ideo qui ante Baptismum uxorem habuit, & post Baptismum secundam duxit, bigamus est. *can. deinde. 3. dist. 26.*

3^{io}. In Sacramento Pœnitentiæ non tota semper, ut in Baptismo fit, remittitur pœna temporalis; in Baptismo enim omninò plena & perfecta fit remissio peccatorum omnibus inimicis interfectis, quibus separabamur à DEO.

4^{to}. Quamvis autem plena fiat remissio peccatorum: nondum tamen est plena novitas, & perfecta mutatio: quia adhuc remanet corruptio non solum in corpore, sed etiam in animo, qui est homo interior, in quo si perfecta esset novitas, non diceret Apostolus: quod renovatur de die in diem. *can. non ex quo. 146. dist. 4. de consecrat.*

5^{to}. Notanda differentia inter originale & actuale peccatum; actuale peccatum transit actu, & remanet reatu, donec per Baptismum vel Pœnitentiam ex toto deleatur; etenim facta, dicta, cogitata iniqua quantum ad motus præterierunt, & non sunt, eis tamen præteritis reatus eorum manet, nisi peccatum per remissionem solvatur. Originale verò peccatum, quantum ad concupiscentiam, in Baptismo remanet actu, sed transit

transit reatu : remanent enim quædam pœnalitates, cum quibus homo pugnat, & ita non præteritâ, sed manente lege concupiscentiæ reatus ejus solvitur: cum sit in Baptismo plena remissio peccatorum, *cit. can. non ex quo. junct. gloss.* Hos effectus non habet Baptismus statim, dum

fictè, hoc est: absque debita dispositione suscipitur, sed *tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, qua corde in malitia vel sacrilegio perseverante peccatorum abolitionem non sinebat fieri. can. tunc valere. 42. dist. 4. de consecrat.*

§. Tertius.

D E

Baptismi Ceremoniis.

Quæres primo. Quo loco dandus Baptismus?

R. Nullus in aulis, vel cameris, aut privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptizare. Fit exceptio: 1. Nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc deferri, Liberi extiterint. 2. Aut talis necessitas emerferit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus fieri. *Clement. unic. de Baptismo.*

Quæres secundo. Quo tempore dandus Baptismus?

R. Olim duo tempora, id est: Pascha & Pentecostes ad baptizandum erant præfixa. *Can. duo. 12. dist. 4. de consecrat.* Venerabilis Baptismi Sacramentum nonnisi his temporibus tradebatur: exceptis iis, quibus urgente mortis periculo, ne in æternum perirent, his remediis subveniri oporteret. *Can. Venerabilis. 17. de consecrat. dist. 4.* In hujus memoriam Fons baptismalis affuso chrysmate illis temporibus consecratur, de quo in *can. in Sabbatho. 126. dist. 4. de*

consecrat. In Sabbatho sancto Pascha & Pentecostes, si quis velit aquam consecratam ad asperionem in domo sua recipere, ante Chrysmatis infusionem recipiat.

Quæres tertio. Quot sunt ceremoniæ Baptismi?

R. Primariæ sunt septem. Quomodo enim sunt septem dona Spiritus Sancti, ita sunt septem dona Baptismi: 1. Salis collatio. 2. Aurium & narium linitio sputo. 3. In pectore & in fronte facta crucis signatio. 4. Olei sancti unctio. 5. Baptismi ablutio. 6. In vertice chrysmatis perunctio. 7. Ejusdem in fronte facta signatio.

Quæres quarto. Quanam ceremoniæ, quæ Baptismo præmitti solent, significatio?

R. 1mo. Imponitur baptizando nomen; quia olim baptizandi nomen suum ad Baptismum in scriptis dabant. *Can. baptizandi. 60. dist. 4. de consecrat.* Modò novi nominis impositio signum est, quòd baptizandus novum Dominum accipiat, dum per confessionem veræ fidei in alterius commendatur dominium, & per

per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienat servitio. *Can. postquam. 61. dist. 4. de consecrat.*

2do interrogatur baptizandus: "Si abrenuntiat Diabolo, & omnibus dam-
"nosis operibus ejus, atque fallacibus
"pompis, ut primum respuat errorem,
"& sic appropinquet ad veritatem, pos-
"sitque juxta Apostolum deponere ve-
"terem hominem secundum pristinam
"conversacionem, qui e corrumpitur
"secundum desideria erroris, abnegans
"impietatem & secularia desideria."
Can. primum. 95. dist. 4. de consecrat.

3tio. Ante Baptismum baptizandus catechizatur. Catechizo idem est, quod instruo, & Catechismus idem est, quod instructio, quæ hodie communiter fit ante fores Ecclesiæ, ubi interrogatur de articulis fidei, & propriè debet heri solis adultis. *Gloss. in cap. 2. de cognat. spiritali.* Ratio est: "Ut fidei primum Ca-
"techumenus accipiat rudimentum: quia
"prius debet baptizandus fide Incarna-
"tionis Christi institui, & sic ad Baptif-
"mum jam credulus admitti: ut sciat,
"cujus gratiæ in eo est particeps, & cui
"jam debitor fiat deinceps." *Can. ante. 55. dist. 4. de consecrat.*

4to. "Sacerdos in faciem baptizandi
"exsufflat, ut pellatur ab eo potestas
"Diaboli inimica, quæ decepit homi-
"nem, ut possideret homines. Non ergo
"creatura DEI in infantibus exorcizatur,
"aut exsufflatur, sed ille, sub quo sunt
"omnes, qui sub peccato nascuntur."
Can. sicut. 62. dist. 4. de consecrat.

5to. "Postea signatur baptizandus
"signaculo S. Crucis tam in fronte, quam

"in corde: ut ab eo tempore ipse apo-
"stata Diabolus in vase suo pristino suæ
"interemptionis cognoscens signacu-
"lum, jam sibi deinceps sciat esse alie-
"num." *Can. postea. 63. dist. 4. de con-
"secrat.*

6to. "Datur baptizando Sal benedi-
"ctum in os: ut per sal typicum, sapien-
"tiæ sale conditus factore careat iniqui-
"tatis, nec à vermibus peccatorum ul-
"tra putrefiat, sed magis illæsus serve-
"tur ad majorem gratiam percipien-
"dam." *Can. ex hinc. 64. dist. 4. de con-
"secrat.*

7imo. "Dehinc iterum exorcizatur
"Diabolus, ut suam nequitiam agnos-
"cens, & justum super se judicium DEI
"timens recedat ab homine." *Can. de-
"hinc. 66. dist. 4. de consecrat.* "Et Sacer-
"dos per exorcismi gratiam manum cre-
"denti imponens habitare malignum
"spiritum in ejus mente contradicit."
Can. Sacerdotes. 67. ibid.

8vo. Sacerdos expuit in manum sini-
"stram, & cum pollice manûs dextere
"accipit de sua saliva tangens aures & na-
"res baptizandi: "Ut per salivam typi-
"cam Sacerdotis & tactum sapientia &
"virtus Divina salutem ejusdem Cate-
"chumeni operetur: ut aperiantur ei
"nares ad accipiendum odorem notitiæ
"DEI; ut aperiantur illi aures ad au-
"diendum mandata DEI, ut aperiantur
"illi sensus in intimo corde ad respon-
"dendum." *Can. postea. 68. dist. 4. de
"consecrat. Ubi-Gloss.*

Est caro nostra lutum, Patris sapientia
"sputum,
"Creditur humanum genus hoc medi-
"camine sanum. 9no.

9no. Demum à Sacerdote baptizandus oleo Catechumenorum in pectore & in Scapulis inungitur : ut Sacrum baptismum cum fide custodiat : ungitur illius pectus, ut nullæ reliquæ latentis inimici in eo resideant : sed in fide Sanctissimæ Trinitatis mens ejus confortetur : ungitur & inter scapulas, ut undique muniatur, & ad bona opera faciendâ per Dei gratiam roboretur. *Can. deinde. 70. Dist. 4. de Consecrat.* In pectore baptizandus ungitur : ut per Spiritûs Sancti donum abiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam : quia justus ex fide vivit. Inter scapulas, ut per Spiritûs Sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat : quia fides sine operibus mortua est : ut per fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium sit fortitudo laborum. *Cap. unic. §. quia verò. de Sacra unctione.*

Quæres quintò. Quid significant cæremoniæ baptismum concomitantes ?

R. Interiora mysteria, quæ ad ipsum Sacrum fontem celebrantur, sunt : 1mo. Emisâ iterum certissimâ cautione, quâ baptizandus renuntiare omnibus pompis Diaboli, & omnibus operibus ejus, & omni fornicationi Diabolicæ spondet, rursus Sacerdos interrogat : Credis in Deum Patrem &c. juxta Domini imperium, qui cum ad Patrem in cælum ascenderet, discipulis suis, id est : Apostolis mandavit dicens : Euntes docete omnes gentes &c. *Can. prima. 73. Dist. 4. de Consecrat.* 2do Fit terna inmersio seu terna affusio aquæ duplici mysterii

R. D. Schmorrenberg *Instit. J. Can.*

significatione : quia accipit baptismum in nomine Sanctissimæ Trinitatis : quia accipit baptismum in nomine JESU Christi, qui die tertiâ resurrexit à mortuis ; illa enim tertiò repetita inmersio typum exprimit Dominicæ sepulturæ, per quam Christo consepulti sumus in baptismo, & cum Christo resurgimus in fide, ut peccatis abluti in Sanctitate virtutum Christum imitando vivamus. *Can. postquam. 78. Dist. 4. de Consecrat.*

Quæres sextò. Quid significant cæremoniæ baptismum subsequentes ? R. 1mo Suscipiunt patrini baptizatum, & tenent super fontem : quos adhortatur S. Augustinus *In Can. vos ante. 105. Dist. 4. de Consecrat.* " Qui filios in baptismo suscepistis moneo : ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de Sacro fonte suscipere : ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia Symbolum & orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de Sacro fonte, ostendite. "

2do. Sacerdos intincto pollice in chrysmate facit crucem in vertice seu summitate capitis. " Ante baptismum ungitur oleo benedicto, & post baptismum chrysmate Sancto, quia chryisma soli competit Christiano : Christus enim à chrysmate dicitur, vel potius à Christo dicitur chryisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem ; à Christo verò Christiani dicuntur, tanquam uncti deriventur

L I

, ab

„ ab uncto : ut omnes concurrant in
 „ odorem illius unguenti, cujus nomen
 „ oleum est effusum. In vertice Baptiza-
 „ tus inungitur, ut sit paratus omni pe-
 „ tenti de fide reddere rationem : quia
 „ per caput intelligitur mens, juxta quod
 „ legitur: Oculi sapientis in capite ejus,
 „ cujus superior pars est ratio, & infe-
 „ rior sensualitas. Unde bene per verti-
 „ cem, quæ est pars superior capitis,
 „ intelligitur ratio, quæ est superior
 „ pars mentis. „ *Cap. unic. §. quia verò. de*
 „ *Sacra unctione.*

3^{to}. „ Post Baptismum traditur neo
 „ Christiano vestis candida, designans
 „ innocentiam & puritatem Christianam,
 „ quam post ablutas veteres maculas stu-
 „ dio Sanctæ conversationis immacula-
 „ tam servare debet repræsentandam an-
 „ te tribunal Christi. Tegitur etiam post
 „ Sacram unctionem caput ejus mystico
 „ velamine : ut intelligat se diademate
 „ regni. & Sacerdotali dignitate potiri.
 „ Quilibet enim fidelis Rex debet esse
 „ & Sacerdos : Rex : quia se & alios
 „ virtutibus regere debet : Sacerdos :
 „ quia cor contritum & humiliatum,
 „ quod est vera oblatio ; id est, se de-
 „ bet offerre DEO. „ *Can. post Baptismum.*
 91. *Dist. 4. de Consecrat. junct. Gloss.*

4^{to}. Si Baptizatus sit adultus, com-
 municat : quia congruum est, ut Cor-
 poris Sanguinisque Dominici particeps
 fiat, qui in baptismo Christi membrum
 effectus est. *Can. nulli. 131. Dist. 4. de*
Consecrat. Si infans : ponit Sacerdos de
 vino in os ejus dicens : *Hujus vini per-*
ceptio sit tibi in salutem æternam corporis
& anima.

5^{to}. Demum traditur Baptizato in ma-
 nibus cereus ardens, quo significantur
 tres Theologicæ virtutes, quæ ipsi in
 hoc Sacramento in funduntur : fides in
 lumine, Charitas in calore, Spes in ce-
 rei recti altitudine, quæ sursum ascen-
 dit, designatur : ut spes nostra ad cœ-
 los usque excitetur, & erigatur. Præ-
 terea quia per baptismum fit communi-
 catio lucis, & depulsio tenebrarum, ob
 quam causam baptismus Sacramentum
 illuminationis. & baptizati illuminati
 à Patribus dicuntur. S. Carolus Borro-
 mæus de cœremoniis baptismi.

Quæres 7^{imo}. Quid circa oleum,
 quo ante, & quid circa chryisma, quo
 baptizatus post baptismum inungitur,
 observandum ?

1. 1^{mo}. Benedicitur oleum, quod
 dicitur Catechumenorum vel infirmo-
 rum, & conficitur chryisma, quod ex
 oleo fit & balsamo mysticâ ratione : per
 oleum nitor conscientia designatur, jux-
 ta quod legitur : (*prudentes Virgines acce-*
perunt oleum in vasis suis cum Lampadibus)
 per balsamum odor famæ exprimitur,
 propter quod dicitur : *Sicut balsamum*
aromatizans odorem dedi. *Cap. unic. de SA-*
cra unctione.

2^{do}. „ Si quis de alio, chrysmate quàm
 „ de illo novo, quod proprii Episcopi
 „ largitione vel concessione acceperit,
 „ baptizare, nisi præoccupante morte
 „ tentaverit : pro temeritatis ausu ipse
 „ in se suæ damnationis protulisse sen-
 „ tentiam manifestatur. *Can. si quis. 122.*
 „ *Dist. 4. de Consecrat.*

Quæres 8^{avo}. Quot possunt esse Pa-
 trini ?

3. Non

R. Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant quam unus sive vir sive mulier. Leo Papa. In *Can. 101. Dist. 4. de Consecrat.* Quod innovat Trident. Sess. 24. de Reform. Cap. 2. Unus tantum sive vir sive mulier, juxta Ss. Canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant.

Quæres nono. Quinam non possint esse Patrini?

R. 1mo. In baptismo non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus. *Can. in baptismo. 102. Dist. 4. de Consecrat.* 2do. Nec licet Abbatibus nec Monachis de baptismo suscipere filios. *Can. non licet. 103. ibid.*

Quæres decimo. Penes quos est designare Patrinus?

R. Penes parentes. "Parochus autem, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de Sacro fonte suscipiant, & cum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat. *Trid. loc. cit.*

Quæres undecimo. An à designato Patrino constitutus Procurator sit Patrinus?

R. Procurator non contrahit cognitionem Spiritualem sibi, sed mandanti. Hinc est, quod unus, qui sit viri, & alter, qui sit Procurator mulieris baptizatum de Sacro fonte suscipere pos-

sint: Sed non duo viri, vel duæ mulieres: unusquisque tamen proprio nomine; non item vir loco mulieris, vel mulier loco viri. S. Congregatio. *Concil. Trid. verb. baptizatum*, de baptismo suscipiant.

Quæres duodecimo. Quid de cœremonia puerperam post partum benedicendi sentiendum?

R. 1mo. Licet secundum legem Moisaicam certi dies determinati fuerint, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu: in lege tamen gratiæ, si mulieres post prolem enixam acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nullâ peccati mole gravantur, nec est Ecclesiarum aditus denegandus. *Ratio prima est*: quia lex per Moysen data est: gratia & veritas per JESUM Christum facta est: umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii. *Secunda Ratio est*: Ne pœna illis converti videatur in culpam: voluptas enim carnis, non dolor in culpa est. In prolis partu dolor & gemitus est. *Can. si mulier. 2. Dist. 5. Cap. unic. de Purificat. post partum.*

2do. Si ex veneratione voluerint aliquamdiu ab ingressu templi abstinere, devotio puerperarum non est improbanda. *Cit. cap. unic.* Ex qua devotione originem trahit mulierum post partum cum certis precibus in Ecclesiam introductio.



TITULUS III.

D E

Sacramento Confirmationis.

Quæres Primò. An confirmatio sit Sacramentum ?

R. Affirmative est definitum à *Trid. Sess. 7. Can. 1. de Confirmatione. Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponerent: Anathema sit.* Ratio est: "quia Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsus, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam; in baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Et quamvis continuò transitoris sufficiant regenerationis beneficia: victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos: Confirmatio armat & instruit ad agones mundi hujus & prælia reservandos. *Can. Spiritus Sanctus, 2. Dist. 5. de Consecrat.*

Quæres secundò. An Confirmatio majus sit Sacramentum quam baptismus? Ad hanc quæstionem: utrum majus sit Sacramentum manûs impositio Episcoporum, aut baptismus: responderet Mel-

chiades Papa in *Can. de his, 3. Dist. 5. de Consecrat.* "Sciote utrumque magnum esse Sacramentum: & sicut unum à majoribus sit, id est, à Summis Pontificibus, quod à minoribus fieri non potest, ita & majori veneratione venerandum & tenendum est.

Quæres tertio. Quomodo appellatur hoc Sacramentum?

R. Vocatus imò Confirmatio. Cujus est ratio: quia per illud Spiritus Sanctus ad robur datur & augmentum. *Cap. unic. de S. Unctione. §. per frontis. 2dò. Frontis chrysmatio. cit. Cap. Unic.* Quia in collatione hujus Sacramenti frons chrysmate signatur. De quo *Trident. Sess. 7. Can. 2. de Confirmat. Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis chrysmati virtutem aliquam tribuunt: Anathema sit. 3tio manûs impositio.* Ratio est: quia per frontis chrysmationem manûs impositio designatur. De qua in actibus Apostolorum. "Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepisset Samaria verbum DEI, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine JESU. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.

„*Actum. 4to signaculum Spiritus Sancti.*
 „Cujus adventus per ministerium un-
 „ctionis designatur: quia columba, in
 „qua Spiritus Sanctus super Christum
 „in baptismo descendit, ad vesperam
 „in cataclysmo, hoc est, in generali
 „diluvio, revertens ramum retulit vi-
 „rentis oliyæ. Cujus utique Sacramen-
 „tum David propheta prænosens ex-
 „hilarandam faciem in oleo prædica-
 „vit. *cit. cap. unico.*

Quæres *quarto*. Quando Christus hoc Sacramentum instituit?

Respondet *S. Thom. 3. p. q. 72. a. 1. ad 1.* „Christus instituit hoc Sacramen-
 „tum non exhibendo sed promittendo,
 „secundum illud *Joan. 16.* Si non
 „abiero, Paracletus non veniet ad vos:
 „si autem abiero, mittam eum ad vos.
 „Et hoc ideo: quia in hoc Sacramento
 „datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ
 „non erat danda ante Christi resurre-
 „ctionem & ascensionem, secundum
 „illud *Joan. 7.* Nondum erat spiritus
 „datus: quia JESUS nondum erat glo-
 „rificatus.

Quæres *quinto*. Quæ necessitas Con-
 firmationis?

R. 1mo. Non est necessarium hoc Sa-
 cramentum necessitate medii: ideo li-
 cet non sit à fidelibus contemnendum:
 tutius tamen est illud sine periculo omit-
 tere, quam ab his, quibus illud con-
 ferre non licet, ex temeritate recipere.
cap. quanto. 4. de consuetud. 2do. Est ta-
 men necessarium necessitate præcepti.
 Ratio est: „quia omnes fideles per
 „manus impositionem Episcoporum
 „Spiritum Sanctum post baptismum de-

„bent recipere, ut pleni Christiani in-
 „veniantur: quia cum Spiritus Sanctus
 „infunditur, cor fidele ad prudentiam
 „& constantiam dilatatur. *can. omnes.*
1. dist. 5. de consecrat. Hæc duo Sacra-
 menta: baptismus & confirmatio ita
 conjuncta sunt, ut ab invicem, nisi mor-
 te præveniente, nullatenus possint se-
 gregari, & unum sine altero ritè per-
 fici non potest. *can. de his. 3. ibid.* Qua-
 propter adhortatur *Catechismus Roma-*
nus: quanquam hoc Sacramentum ne-
 cessarium non sit: à nemine tamen præ-
 tet mitti debet: sed potius est maxime
 cavendum, ne in re sanctitatis plena,
 per quam nobis divina munera tam lar-
 gè impertiuntur, aliqua negligentia
 committatur: quod enim omnibus com-
 munitur ad Sanctificationem D E U S
 proposuit, ab omnibus etiam summo
 studio expetendum est. *3tid.* Speciale
 est præceptum *Trident. sess. 23. de reform.*
cap. 4. Primâ tonsurâ non initiuntur, qui
Sacramentum confirmationis non susceperunt.

Quæres *sexto*. Quis hujus Sacramen-
 ti minister?

R. 1mo. Ordinarius est solus Episco-
 pus. *Trident. sess. 7. can. 3. de confirmat.*
 ita ut absque speciali summi Pontificis
 commissione perfici non possit, nisi à
 summis Sacerdotibus. Ratio est *1mo*:
 quia enim nec tempore Apostolorum ab
 aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur
 aut scitur peractum esse: non ab aliis
 quam ab illis, qui eorum tenent lo-
 cum, unquam perfici potest, aut fieri
 debet. *can. manus. 4. dist. 5. de consecrat.*
 ideoq; in *cit. cap. quanto de consuetud.*

damnatur consuetudo, quâ quidam simplices Sacerdotes, ad excusandas excusationes in peccatis, prætendebant præsumentes ea Sacramenta fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrysmando renatos soli debent Episcopi per manûs impositionem conferre. Ratio est 2^{dò} ex *S. Thom. 3. p. q. 72. a. 11. in O.* " quia in quolibet opere ul-
 ,, tina consummatio suprema arti aut
 ,, virtuti reservatur: hoc autem confir-
 ,, mationis Sacramentum est quasi ulti-
 ,, ma consummatio Sacramenti baptis-
 ,, mi: & ideo collatio hujus Sacramen-
 ,, ti Episcopis reservatur, qui obtinent
 ,, summam potestatem in Ecclesia, sicut
 ,, & in primitiva Ecclesia per impositio-
 ,, nem manûs Apostolorum, quorum
 ,, vicem gerunt Episcopi, plenitudo
 ,, Spiritûs Sancti dabatur. Et juxta *Tri-
 dent.* Episcopi Presbyteris sunt Supe-
 riores, ac Sacramentum confirmatio-
 nis conferre, ministros Ecclesiæ ordi-
 nare, & alia pleraque agere possunt,
 quarum functionum potestatem reliqui
 inferioris ordinis nullam habent.

2^{dò}. Extraordinarius minister ex com-
 missione Pontificis potest esse simplex
 Sacerdos: probatur ex *can. pervenit. 1.
 dist. 95.* in quo Gregorius Papa conce-
 dit, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri
 etiam in frontibus baptizatos tangant.
 Ratio est, quam adfert *S. Thom. 3. p. q.
 72. a. 11. ad 1.* quia Papa in Ecclesia ha-
 bet potestatis plenitudinem: ex qua potest
 quedam, quæ sunt Superiorum Ordinum,
 committere quibusdam inferioribus, sicut

quibusdam Presbyteris concedit conferre mi-
 nores ordines, quod pertinet ad potestatem
 Episcopalem.

Quæres septimò. Quænam materia
 confirmationis?

3^a 1^{mò}. Materiam remotam esse
 chryisma. Constat ex juribus supra cita-
 tis. Chryisma est unguentum ex oleo &
 balsamo confectum, ab Episcopo con-
 secratum, de quo in *can. literis. 18. dist.
 3. de consecrat.* ubi Fabianus Papa man-
 dat, ut per singulos annos in cœna Do-
 mini chryisma conficiatur; Rationem
 dat: " sicut enim ipsius diei solempi-
 ,, tas per singulos annos est celebranda:
 ,, ita ipsius Sacri chrysmatis per singulos
 ,, annos est agenda, & de anno in an-
 ,, num est revocanda, & fidelibus tra-
 ,, denda: quia novum Sacramentum est
 ,, per singulos annos & jam dicto die in-
 ,, novandum, & vetus in Sanctis Eccle-
 ,, siis cremandum. Ita à Sanctis Apo-
 ,, stolis eorumq; successoribus accipi-
 ,, mus. Ulteriore congruentiam dat
Doctor Angelicus loc. cit. a. 12. ad 3. quia
 illa dies congruit Sacramentorum ma-
 teriis præparandis, quâ fuit Sacramen-
 tum Eucharistiæ institutum, ad quod
 omnia alia Sacramenta ordinantur.

2^{dò}. Quamvis in *cap. Pastoralis. 1. de
 Sacrament. non iterandis.* Innocentius III.
 interrogatus: An confirmationis Sacra-
 mentum in eo debeat iterari, qui per
 errorem fuit non chrysmate sed oleo Sa-
 cro delinitus respondeat in tali non esse
 aliquid iterandum, sed cautè sup-
 plendum, quod incautè fuerat præter-
 missum: ex quo aliqui inferunt chryf-
 ma non esse de necessitate Sacramenti

con-

confirmationis ; attamen dicendum , quod in proposito casu sub unctiōne chrysmatis , quæ suppletur , forma ad minus sub conditione sit iteranda : quia ante nullum ex defectu chrysmatis susceperant Sacramentum. Quod non contrariatur adductæ responsioni pontificiæ. Ratio est : quia non intelligitur iteratum , quod ambigitur esse factum , ut dicit idem Pontifex in *cap. veniens. de presbyt. non baptizato.*

3^{to}. Licet legatur factum per Apostolicam dispensationem , ut simplex Presbyter confirmationem conferret : non tamen nisi in chrysmate ab Episcopo benedicto. Eugen. IV. in Concilio Florent. in decret. Ita etiam in *can. presbyteris. 119. dist. 4. de consecrat.* præcipitur , ut baptizantes baptizatos ungant non alio chrysmate , quam quod ab Episcopo consecratum : non tamen frontem ex eodem oleo signent , quod solis debetur Episcopis , cum tradunt Spiritum Paraclerum. Ergo benedictio Chrysmatis est de necessitate Sacramenti.

4^{to}. Materia proxima Confirmationis est impositio manûs , quâ ungitur chrysmate , & signatur signo crucis frons baptizati. Ratio 1^{ma} est : “ quia per impositionem manûs baptizato Paraclerus traditur , ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis idem donum , quod ipse in baptisate consecutus est , per gratiam vitæ donatus æternæ. *can. novissimè. 5. dist. 5. consecrat.* Ratio 2^{da} : quia signatur baptizatus cum chrysmate per Sacerdotem in capitis summitate : per

„ Pontificem verò confirmantem in fronte , ut in priore unctiōne significetur „ Spiritus S. super ipsum descensio ad „ habitationem DEO consecrandam : „ in 2^{da} verò , ut ejusdem Spiritus S. „ septiformis gratia cum omni plenitudine Sanctitatis , scientiæ & virtutis „ in hominem venire declaretur. *cit. can. novissimè.* Ratio 3^{ta} : signatur in fronte signo crucis , ut liberè confiteatur , quod credit : quia corde creditur ad justitiam , ore autem fit confessio ad salutem , memor ejus , quod ait Dominus : Qui me confessus fuerit coram hominibus. *cap. unic. de S. unctiōne. §. quia verò.* Addit S. Thom. *loc. cit. a. 9. in O.* Ideo in fronte signatur chrysmate , ut neque propter timorem , neque propter erubescenciam , quorum utriusque signum maximè manifestatur in fronte , nomen Christi confiteri prætermittat.

Quæres octavò. Quæ forma confirmationis ?

R. Eam tradit Pontificale Romanum : *signo te signo crucis , confirmo te chrysmate salutis in nomine Patris & Filii , & Spiritus Sancti.*

Quæres nonò. Quodnam subjectum Confirmationis ?

R. 1^{mo}. Omnes fideles , *can. omnes. 1. dist. 5. de consecrat.* nondum confirmati : quia nec confirmatio nec baptisus iterari debent. *Can. dictum. 8. dist. 5. de consecrat.* ubi bis , ter vel amplius confirmati damnantur , ut deinceps non sæculo sed Soli DEO sub habitu regulari vel clericali religiosissimè famulentur. Iteratò vel bis eundem confirmans non incurrit irregularitatem sicut rebapti-

baptizans. *arg. cap. is qui. 18. de Sentent. excomm. in 6.*

2^{do}. Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur, inquit S. Carolus Borrom. in *Concil. 1. Mediolan.* Si ex justa causa, ut quia rarus Episcopi ad loca accessus, minoribus natu hoc Sacramentum detur: eorum parentes vel qui curam gerunt, Parochus moneat, & ætate procedente eâ de re certiores faciant, ne parentibus Curatoribusq; postea mortuis ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas est, susceperint. *Idem Concil. Mediolan. 5to.*

3^{to}. Confirmationem parvulis datam iisdem prodesse docet Gloss. in *can. ut jejuni. 6. dist. 5. de consecrat.* ubi ad quæstionem: An minorem gloriam in cælis habeat parvulus non confirmatus, respondet affirmativè. Ratio est: quia in confirmatione datur augmentum gratiæ. *can. Spiritus S. 2. ibid.*

Quæres decimo. Quam dispositionem hoc Sacramentum requirit?

R. Ex *cit. can. jejuni.* requiritur 1^{mo} ut jejuni ad Confirmationem veniant: uti etiam Episcopus non nisi jejunus per impositionem manuum Spiritum Sanctum tradere debet: exceptis infirmis & morte periclitantibus. *can. ut Episcopi. 7. dist. 5. de consecrat.* 2^{do} ut sint perfectæ ætatis, de quo supra. 3^{to} ut moneantur confessionem prius facere, ut mundi donum Spiritus S. valeant accipere.

Quæres undecimò. An tempore interdicti possit hoc Sacramentum administrari?

R. Affirmativè, juxta expressum textum in *cap. quoniam. 19. de Sentent. excomm. in 6.* Quoniam in baptismo & confirmatione, quæ nedum pueris, sed & adultis propter moræ periculum exhiberi possunt, licet tempore interdicti chrysmatis utimur unctio: posse (licet terra interdicta sit) chrysmata die cœnæ Domini confici, dubium non existit.

Quæres duodecimò. Quæ, & quid significant cœremoniæ confirmationis accidentales?

R. 1^{mo}. In baptismo & confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed pro singulis singuli suscipiunt, hoc est: in quolibet Sacramento diversus est patrinus. *can. in catechismo. 100. dist. 4. de consecrat.* Patrinus debet esse baptizatus & confirmatus. *can. in baptismo. 102. ibid.* In confirmatione quoque seu frontis chrysmatione spiritualis cognatio, iisdem modis contrahitur, quibus in baptismo, matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta, *cap. nedum, de cognat. Spirit. in 6.* quæ confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. *Trid. ss. 24. de reform. matrim. cap. 2.* Ratio hujus cœremoniæ ex *S. Thom.* est 3. p. q. 72. a. 10. in O. 1^{mo}. Sicut aliquis de novo natus indiget instructione in iis, quæ pertinent ad conservationem vitæ, secundum illud *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reverebamur eos, ita illi, qui assumuntur ad pugnam,

„nam, indigent eruditoribus, à qui-
 „bus instruantur de his, quæ pertinent
 „ad modum certaminis: ideo in bellis
 „materialibus constituuntur Duces &
 „Centuriones, per quos alii gubernen-
 „tur. Et propter hoc etiam ille, qui
 „accipit hoc Sacramentum, ab alio te-
 „netur, quasi per alium in pugna Spi-
 „rituali erudiendus. „ 2^{do}. Quia per
 hoc Sacramentum confertur homini per-
 fectio Spiritualis ætatis: ideo ille, qui
 ad hoc Sacramentum accedit, sustenta-
 tur ab alio sive patrino, quasi adhuc
 Spiritualiter imbecillis & puer.

Secundà. Episcopus leviter in maxilla

cædit, quem chrysmate confirmat, Ra-
 tionem dat S. Carolus Borromæus. 1^{mo}
 Ut sciat homo Christianus se jam mili-
 tem esse, cujus pugna & Victoria elu-
 cet in patiendis injuriis non in illis infe-
 rendis. 2^{do}. Ut sciat se esse in Christia-
 na militia constitutum, in qua non hu-
 jus vitæ commoditates & commoda quæ-
 rat, sed incommoda potius, atque ad
 mala multa patienter ferat. 3^{to}. De-
 mum, ut intelligat officii sui esse in
 acie stare, tela, quæ ab hoste veniunt,
 observare, ita ut quamvis illis telorum
 ictibus corpus, honor, opesque lædan-
 tur; anima tamen nullo pacto lædatur.

TITULUS IV.

DE

Sacramento Eucharistiæ.

DE Sacratissimo hoc Sacramento
 cùm Theologi Scholastici tum
 Canonistæ tractant. Nos secun-
 dùm præscriptam operis præ-
 sentis methodum partim quid scholasti-
 cè, partim quid canonicè de eo deliba-
 bimus; acturi §. 1. De nomine Eucha-
 ristia. 2^{do}. De ratione Sacramenti. 3^{to}.
 De transubstantiatione. 4^{to}. De præsen-
 tia Christi. 5^{to}. De susceptione tanti
 Sacramenti. 6^{to}. De sacrificio Missæ.

7^{to}. De auditione Missæ. Reliquos ti-
 tulos Canonicos ad hanc materiam per-
 tinentes, quales sunt titulus 40. de con-
 secratione Ecclesiæ & Altaris; titulus 41.
 De celebratione Missæ & Sacramento
 Eucharistiæ; titulus 44. De custodia
 Eucharistiæ: Summæ Canonicæ refer-
 vantes, ad eamque benevolam Lecto-
 rem & Juris Canonici Candidatum re-
 mittentes.



§. Primus.

D E

Nominibus Eucharistiæ.

Quæres Primò. Quibus nominibus hoc Sacramentum appellatur?

R. Sequentibus: Dicitur enim 1mò Eucharistia. *Can. multi. 84. caus. 1. q. 1.* 2dò Panis & Calicis Sacramentum. *cit. Can. multi.* 3tò Mysterium fidei. *In Canone Missæ. Magnum & pavendum mysterium. Can. quid sit. 73. de Consecrat. dist. 2.* 4tò Mysterium unitatis. *Cap. firmiter. 1. §. una verò. de Sanctissima Trinit. 5tò Communio, unitatis signum, vinculum charitatis, concordie symbolum, Panis super substantialis, animæ vita, perpetua sanitas mentis, Panis Angelorum. Trident. Sess. 13. cap. 8. de Eucharistia. 6tò Perpetua redemptionis oblatio. *Can. quia Corpus. 35. de Consecrat. dist. 2.* 7tò Hostia salutaris. *Cap. sanè. 10. de Celebrat. Missar. 8tò Sacrificium. Cit. cap. firmiter. 9tò Cæna. Gloss. in cit. cap. firmiter. 10mò Missa. Cap. Presbyterum. 2. de Clerico agrotante. 11mò Viaticum. Cap. quod in te. 11. de Pœnit. & remiss.**

Quæres secundò. Unde vocatur Eucharistia?

R. Ab eu, quod est bonum: & charis, quod est gratia: hoc est: bona gratia. *Gloss. in Clement. 1. de Privileg.*

Quæres tertio. Quare appellatur bona gratia?

R. Quia Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem in hoc Sacra-

mento divitias divini sui erga homines amoris effudit. *Trident. Sess. 13. cap. 2.* Ut præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcellsum & venerabile Sacramentum: memoriale mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum ac super omnia pretiosum. *Clement. unic. de Reliq. & Veneration. Sanct.*

Quæres quarto. Quare dicitur Panis ac Calicis Sacramentum?

R. "Quia Panis est in Altari usitatus, ante verba Sacramentorum: ubi accessit consecratio de Pane fit caro Christi. *Can. Panis. 55. dist. 2. de Consecrat.*

Quæres quinto. Quare est mysterium fidei?

R. Quia aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet Spiritualem. *Can. quid sit Sanguis. 73. de Consecrat. dist. 2.*

Quæres sexto. Quare mysterium unitatis nominatur?

R. 1mò. Quia in hoc Sacramento accipimus nos ipsi de suo, quod accepit ipse Christus de nostro. *Cit. cap. firmiter. de S. Trinit.*

R. 2dò. Quia Christus in Ecclesia reliquit hoc Sacramentum tanquam symbolum ejus unitatis & charitatis, quâ Christianos omnes inter se conjunctos

&

& copulatos esse voluit. *Trid. Sess. 13. in proem.*

Quæres septimò. Quare synaxis vel communio nuncupatur?

R. Quia communicatione hujus Sacramenti copulamur in uno illo corpore, cujus Christus caput existit, cuique nos tanquam membra arctissimâ Fidei, Spei, & Charitatis, connexioni adstrictos esse voluit. *Trident. cit. cap. 2.*

Quæres octavò. Quare Viaticum dicitur?

R. Quia omnibus decedentibus ex hac vita ad iter æternitatis velur Viaticum conceditur. *Cap. quod in te. II. de Pœnit. & remiss.*

Quæres nonò. Quare Hostia appellatur?

R. Quia in una Ecclesia Catholica hoc Sacramentum vera Hostia redemptoris immolatur. *Can. quia. 22. caus. 24. q. 1. de qua canit. Gloss. in cap. sanè. 10. de Celebrat. Miss.*

Salve lux mundi, Verbum Patris, Hostia vera,

Viva caro, Deitas integra, verus homo.

Quæres decimò. Quare nominatur Sacrificium?

R. "Quia sicut se Christus pro nobis per passionem & mortem suam acceptabile sacrificium DEO Patri obtulit, ut ipse esset Sacerdos, qui & sacrifici-

um. *Can. Sacerdos. 89. de Consecrat. dist. 2.* Ita in confectione hujus Sacramenti idem ipse Sacerdos est & sacrificium. *Cit. cap. firmiter.*

Quæres undecimò. Cur cœna dicitur?

R. Quia postquam in cœna ultima typicum Pascha fuit completum, & agni carnes Christus cum Apostolis comedit, assumpsit Panem, & ad verum Paschæ transgressus est Sacramentum. *Can. accipite. 88. de Consecrat. dist. 2.* In hac cœna fuit Dominus JESUS ipse Conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur. *Can. nec Moyses. 87. de Consecrat. dist. 2. ubi Gloss.*

Rex sedet in cœna, turbâ unirus duodenâ,

Se tenet in manibus, se cibatur ipse cibus.

Quæres duodecimò. Quare Missa vocatur?

R. Quia in hoc Sacramento à Patre nobis mittitur Filius DEI, Missus cœlestis. De quo in *cit. Can. quid sit Sanguis. de Consecrat. dist. 2.* "Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlum aperiri? In illo JESU Christi mysterio Angelorum choros adesse? summa & ima Sociari, terrena cœlestibus jungi, unum ex invisibilibus atque visibilibus fieri,

§. Secundus.

D E

Ratione Sacramenti.

Quæres primò. An Eucharistia Sacramentum?

R. Commune hoc Sanctissimæ Eucharistia cum cœteris Sacramentis est, quod

Mm 2 sit

276 *Titulus quartus. De Sacramento Eucharist.*

fit Symbolum rei Sacrae, & invisibilis gratiae forma visibilis. *Trident. Sess. 13. cap. 3.*

Quæres secundò. "In quo hoc Sacramentum reliquis est excellentius?"

R. "Illud in ea excellens & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est. *Trident. loc. cit.*

Quæres tertio. An Eucharistiae Sacramentum simpliciter dignissimum?

R. Nihil in Sacrificiis majus esse potest, quam Corpus & Sanguis Christi: nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit. Nullum ergo Sacramentum dignius est isto, quantum in se ipso est. Quatuor enim modis unum Sacramentum est dignius altero, scilicet ratione efficaciam, ut baptismus: Ratione Sanctitatis, ut Eucharistia: Ratione significationis ut conjugium: Ratione conferentis, ut confirmatio. *Can. nihil. 8. de Consecrat. dist. 2. junct. Gloss.*

Quæres quarto. Qualiter res Sacramenti & Sacramentum hæc distinguuntur?

R. Subtiliter distinguendum est inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta: videlicet formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem Spiritualem; Forma est Panis & Vini; Veritas est Carnis & Sanguinis, virtus est unitatis & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res. Secundum est Sacramentum & res. Tertium est res & non Sacramentum. *Cap. cum Martha. 5. de Celebrat. Miss.*

Quæres quinto. In quo formaliter consistit ratio Sacramenti?

R. Eucharistia formaliter consistit in duobus: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri JESU Christi Carne & Sanguine. *Can. hoc est. 48. de Consecrat. dist. 2.* Species importantur in recto, corpus Christi respicitur in obliquo.

Quæres sexto. Quando incipit esse Sacramentum?

R. Dum Panis est; nullum est ibi Sacramentum: quia nihil significat: sed cum incipit transire in corpus Christi (non moru successivo sed instantaneo) statim Species Panis incipit significare corpus Christi & esse Sacramentum. *Gloss. in Can. Panis. 55. de Consecrat. dist. 2.*

Quæres septimo. Quæ materia hujus Sacramenti?

R. Materia Corporis Christi est Panis usitatus. *Cir. Can. Panis.* Panis triticeus. *Eugen. IV. in Decret. Armenor.* non Farina sola, aut Aqua sola: nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & Panis unius compage solidatum. Quod si melle vel alio liquore fuerit farina aspersa, nunquid transubstantiatur ille Panis corpore Christi? Non. *Can. sic in Sanctificando. 2. de Consecrat. dist. 2. junct. Gloss.* Sive in azimo, sive fermentato Pane triticeo Corpus veraciter conficitur. *Concil. Florent. in Decreto union. Græcor.* In Ecclesia Latina in azimo confici debet. *Cap. fin. de Celebr. Missar.* Materia Sanguinis est Vinum de vite. *Eugen. IV. in Decret. Armenor.* Vinum aquâ mixtum. *Cap. perniciosus. 13. de Celebrat. Miss.*

Quæres

Quæres octavo. Quare vino calicis aqua necessariò miscenda?

2. Calix Dominicus juxta Canonum præcepta vino & aqua permistus debet offerri: quia in aqua populus intelligitur, in vino ostenditur Sanguis Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur. *Can. cum omne. 7. de consecr. Dist. 2.* Alias rationes hujus præcepti Ecclesiastici affert *Trident. Sess. 22. cap. 7.*

Quæres nono. Quæ forma hujus Sacramenti?

2. Forma panis est: *Hoc est corpus meum. Can. quia corpus. 35. De consecrat. dist. 2.* Forma vini: *Hic est calix sanguinis mei novi & aterni Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quamvis enim in Evangelio non legatur: *novi & aterni Testamenti, mysterium fidei:* credimus tamen quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab Apostolis eorum acceperint Successores. *cap. cum Martha. 6. de celebrat. Miss.*

Quæres decimo. Quis minister hujus Sacramenti?

2. Nemo potest hoc Sacramentum conficere, nisi Sacerdos, qui rectè fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas concessit Apostolis eorumque Successoribus JESUS Christus. *cap. firmiter. De summ. Trinit.*

Quæres undecimo. An Eucharistia unum vel plura Sacramenta?

2. Plura sunt Sacramenta propter

specierum pluralitatem, & unum est Sacramentum, quia unus sub utraque specie Christus. *Gloss. in can. panis. 55. de consecrat. dist. 2.* Accidentia panis sunt tantum Sacramentum corporis Christi, & accidentia vini sunt tantum Sacramentum Sanguinis Christi: quamvis sub qualibet specie sit totus Christus. *Gloss. in can. comperimus. 12. de consecr. dist. 2.*

Quæres duodecimo. Quare cultu hoc Sacramentum est colendum?

2. Cultu latriæ, qui vero DEO debetur. *Trid. Sess. 13. cap. 5.* ideo modo quod generaliter scribitur: ut in nomine JESU omne genu flectatur singuli singulariter in se ipsis implentes, præcipuè dum aguntur missarum Sacramentaria, flectunt genua cordis sui. *Cap. decet. 2. de immunit. Eccles. in 6. 2. ad.* Hoc Sacramentum in loco mundo & clauso cum omni reverentia est asservandam. *cap. 1. de custod. Euchar. Gloss. in can. semel. 52. de consecrat. dist. 2. ita canit:*

Clauditur hoc vase nostri pia victima Phasæ,

Viva, salutaris, semel in cruce, semper in aris.

3. In processibus reverenter & honorificè per vias & loca publica circumferendum. *Trident. l. c. 4. ad.* Ad infirmos cum omni reverentia & timore, semper cum lumine, cum sit candor lucis aternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur, à presbyteris ferendum est & referendum. *Cap. sanè. 10. de celebr. missar.*

§. Tertius.

D E

Transubstantiatione.

Quæres primò. An possibile, quod panis & vinum in corpus & Sanguinem Christi convertatur?

Re. Affirmativè. Si tanta vis est in sermone Domini JESU, ut inciperent esse quæ non erant: quantò magis operatorius est, ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur. *Can. panis. 55. de consecrat. dist. 2.* Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est novis rebus dare, quàm mutare naturas. *Can. reverà. 69. ibid.*

Quæres secundò. An panis & vinum in consecratione corpus & Sanguis Christi fiant?

Re. Sermo Christi conficit hoc Sacramentum, & sic quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post consecrationem: & Vinum cum aqua in calice mistum fit Sanguis consecratione verbi cœlestis, *cit. can. panis.*

Quæres tertio. An in Sacramento substantia panis & vini maneat?

Re. Negativè. Licet figura panis & vini ibi sit, omninò nihil aliud quam caro Christi & Sanguis post consecrationem credenda sunt. *Can. omnia. 74. de consecrat. dist. 2.* Remanet sola spe-

cies sive similitudo illarum rerum, quæ ante fuerunt, scilicet panis & vini. *Can. species. 34. ibid.*

Quæres quarto. Qualiter conversio panis & vini appellatur?

Re. Jam ante quinque fere sæcula in Concilio Lateran. sub Innoc. III. ut refertur in *cap. firmiter. de sum. Trinit.* appellata fuit *Transubstantiatio.*

Quæres quinto. Quando fit Transubstantiatio?

Re. Ad prolationem istius: *Hoc est corpus meum*, Transubstantiatur panis in corpus, & ad prolationem istius: *Hic est Sanguis meus &c.* Vinum convertitur in Sanguinem. *Gloss. in can. cum omne. 7. & can. quia corpus. 35. de consecrat. dist. 2.*

Quæres sexto. An non vinum etiam in corpus, & panis in Sanguinem Christi transubstantiantur?

Re. Hæc propositio non est concedenda: *Vinum transubstantiatur in corpus Christi.* Quamvis enim ubicunq; est caro, ibi est Sanguis: sed caro est ibi per Transubstantiationem, & Sanguis per commixtionem, sicut anima est ibi per unionem. *Gloss. in can. comperimus. 12. de consecr. dist. 2.*

Quæres septimò. Quot circa conversionem aquæ catholicæ sunt sententiæ?

Re. Innoc. III. in *cap. cum Marthe. 6.*

de

„ de celebr. Miss. refert tres: 1. Aliqui-
 „ bus videtur, quod cum de latere
 „ Christi duo præcipua fluxerint Sacra-
 „ menta: redemptionis in Sanguine, ac
 „ regenerationis in aqua, in illa duo
 „ Vinum & aqua, quæ commiscetur
 „ in calice, divinâ virtute mutantur,
 „ ut in hoc Sacramento plenè sit veri-
 „ tas & figura.

„ 2. Alii tenent, quod aqua cum vi-
 „ no transubstantietur in Sanguinem,
 „ cum in vinum transeat vino mixta:
 „ licet phisici contrarium asseverent,
 „ qui aquam à vino per artificium pos-
 „ se asserunt separari.

„ 3. Præterea dici potest, quod aqua
 „ non transit in Sanguinem, sed rema-
 „ net prioris vini accidentibus circum-
 „ fusa.

Quæres octavo. Quænam ex his sen-
 tentiis probabilior?

„ R. Inter opiniones prædictas illa
 „ probabilior judicatur, quæ asserit
 „ aquam cum vino in Sanguinem trans-
 „ mutari, ut expressius eluceat proprie-
 „ tas Sacramenti. *cit. cap. cum Martha.*

Quæres nono. An aqua mediâtè vel

immediâtè in Sanguinem convertatur?
 „ R. Mediâtè; quia non transeunt duo
 „ in Sanguinem, sed vinum quod aquam
 „ sibi incorporavit. *Gloss. in cit. cap. cum
 Martha. Verb. cum vino.*

Quæres decimo. Si post consecratio-
 nem aliud vinum mittatur in calicem,
 an illud in Sanguinem Christi conver-
 tatur?

„ R. Illud non transit in Sanguinem,
 „ nec illi commiscetur. sed accidentibus
 „ prioris vini commixtum, corpori, quod
 „ sub eis latet, undique circumfunditur,
 „ non madidans circumfusum. *cit. cap. cum
 Martha.*

Quæres undecimo. Si post consecra-
 tionem modicum aquæ affundatur, an
 illud in vinum convertatur?

„ R. Affirmative: quia sic aqua appo-
 „ sita vini Saporem amittit. *cit. cap. cum
 Martha.*

Quæres duodecimo. Si gutta vini con-
 secrati alteri liquori commiscetur, an
 corpus & Sanguis Christi maneant?

„ R. Tamdiu est corpus Christi, quam-
 „ diu sunt accidentia vini. *Gloss. in can. si
 per ebrietatem. 28. de consecr. dist. 2.*

§. Quartus.

DE

Præsentia Christi.

Quæres primo. An error veram &
 realem Christi in Eucharistia præ-
 sentiam negans ante exortas nostri tem-
 poris hæreses condemnatus fuerit?

„ R. Prima hæresis in discipulis Chri-
 „ sti velut à duritie ejus sermonis facta
 „ est. Cum enim diceret: *nisi quis man-
 „ ducayerit carnem meam, & biberit San-
 „ guinem*

„guinem meum, non habebit vitam aeternam, illi non intelligentes (carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere venditur, aut macello dilaniatur) dixerunt adinvicem: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et separaverunt se ab illo: discedentibus illis instruxit eos, qui remanserunt: Spiritus est, inquit, qui vivificat, caro nihil prodest, verba quæ locutus sum ad vos, Spiritus & vita sunt. *Can. prima. 44. de consecr. dist. 2.* Ex eo verbo: mysterium fidei, munimentum erroris quidam trahere putaverunt, dicentes in Sacramento Altaris non esse corporis Christi & Sanguinis veritatem, sed imaginem tantum & speciem & figuram. *cap. cum Martha. 6. de celebr. Miss.* Hunc errorem Berengarius relapsus in secunda palidonia circa annum 1059. revocavit, ut refertur in *can. Ego. 42. de consecr. dist. 2.*

Quæres secundò. An vera Christi caro & verus Sanguis sit præsens?

R. Caro ejus est, quam forma panis operam in Sacramento accipimus, & Sanguis ejus, quam sub vini specie & sapore potamus. *Can. hoc est. 48. de consecr. dist. 2.*

Quæres tertio. Quare Christus sub specie aliena præsens esse voluit?

R. Quia Christum vorari dentibus fas non est, voluit Dominus hunc panem & vinum in mysterio verè carnem suam & Sanguinem suum consecratione Spiritus S. potentialiter creari. *Can. utrum. 72. de consecr. dist. 2.*

Res occultatur? quare quia si videatur,

Forſitan horreres, & manducare timeres.

Gloss. in can. semel. 51. de consecr. dist. 2.

Quæres quarto. Quid vi verborum præsens est?

R. Corpus est sub specie panis, & Sanguis sub specie vini ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, ac anima sub utraque specie vi naturalis illius connexionis & concomitantie, qua partes inter se copulantur, & demum divinitas propter admirabilem illam ejus cum corpore ac anima hypostaticam unionem. *Trident. sess. 13. cap. 3.*

Quæres quinto. An æquè sit præsens, sive bonus sive malus Sacerdos consecret?

R. Nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus S. Si enim in merito esset Sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret, Nunc autem sicut ipse est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum S. hanc suam efficit carnem, & transit vinum in Sanguinem. *Can. utrum. cit.*

Quæres sexto. An omnes æquè multum in hoc Sacramento de corpore Christi accipiant?

R. Sive plus sive minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Christi integerrimè sumunt, & generaliter omnes, & specialiter unusquisque. *Can. quid sit. 73. de consecr. dist. 2.*

Quæres septimò. An idem corpus in omnibus hostiis?

R. Sicut

R. Sicut divinitas verbi DEI una est, quæ totum implet mundum, ita licet multis locis & innumerabilibus diebus illud consecratur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, neque multi calices: sed unum corpus Christi & unus Sanguis cum illo quod sumpsit in utero Virginis, & quod dedit Apostolis. *Cir. can. quid sit.*

Quæres octavo. An sit Christus semper integer?

R. Quotidiè ipse comeditur & bibitur in veritate: sed integer & vivus, atque immaculatus manet. *Cir. can. quid sit.*

Quæres nono. An Christus sit in loco?

R. Corpus Christi non circumscribitur loco: quia non est tantus locus, quin in minori esse possit: sed ubicunque est pars, sive dicas pars speciei, totum corpus est, sive pars corporis Christi, id est pes, manus, totum corpus est. *Can. ubi pars. 78. de Consecrat. dist. 2. junct. Gloss.*

Quæres decimo. An omnia membra mixta sint, ut ubi est caput, ibi mixti pes & manus?

R. Negativè sed ubi pars, ibi totum, quia non majorem occupat locum quam pars, & e converso, cum sit quasi

Spirituale. *Gloss. in cit. Can. ubi pars.*

Quæres undecimo. Annon Christus visibilis sit præsens?

R. Est ipse visibilis præsens, & non est ipse, ipse invisibiliter, non ipse visibiliter. *Can. non hoc. 45. de Consecr. dist. 2. Caro carnis, & Sanguis Sacramentum est Sanguinis: carne & Sanguine utroque invisibili, intelligibili, Spirituali, significatur visibile D. N. J. C. corpus palpabile, plenum gratiâ omnium virtutum, & Divinâ Majestate. Can. hoc est. 48. de Consecr. dist. 2.*

Quæres duodecimo. Quomodo accidentia in Sacramento existunt?

R. Manet ponderositas cum accidentibus aliis, & tamen nihil est ibi ponderosum. In his omnibus cedit natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. *Gloss. in Can. si per negligentiam. 28. de Consecr. dist. 2. Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine. Can. revera. 69. de Consecr. dist. 2. Hinc Glossa in cit. Can. semel.*

Ut sine subjecto dependet in aëre nubes,

Et centrum terræ pelagi sustentat abyssus,

Sic vini color, & sapor est, Panis quoque pondus.

§. Quintus.

D E

Susceptione Eucharistiæ.

Quæres primo. Quot modis Eucharistiâ sumi potest?

R. D. Schmorrenberg Instit. J. Can.

R. Duobus modis manducatur Christus: uno modo Sacramentaliter, quod

N n bonis

bonis & malis competit, alio modo Spiritualiter, cum per fidem & dilectionem cooperantem accipitur. *Can. quid est. 46. de Consecr. dist. 2. junct. Gloss.*

Quæres *secundò*. Quæ inter dignè & indignè sumentem differentia?

R. Quomodo de dignè sumente Christus dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo: ita de indignè sumente dicendum: quia non in me manet, nec ego in illo, & si accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum. *Cit. Can. quid est.* Sicut Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se Diabolo præbuit; sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit; corpus enim Domini & Sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus dicebat Apostolus: qui manducat indignè, judicium sibi manducat. *Can. sicut Judas. 68. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *tertiò*. An sit præceptum sumendi Eucharistiam?

R. *1^{mo}*. Non solum est præceptum Ecclesiæ sed etiam Christi, quo omnes quantumcunque perfecti, tenentur sumere Christi corpus. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. Gloss. in Clement. ad nostrum. de heret.*

R. *2^{do}*. Tempus Ecclesia determinat præcipiendo: ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverentè ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum,

nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum. *Cap. omnis utriusque. 12. de Pœnit. & remiss.*

R. *3^{io}*. Qui recedunt de corpore, necessario vitæ suæ Viatico non sunt defraudandi. Et quamvis hoc Sacramentum non sit necessitatis, tamen concedendum est decedentibus etiam interditi tempore. *Cap. quod in te. 11. de Pœnit. & remiss.* Quin & publicis peccatoribus, qui à Sacra communionem detrahuntur, Viaticum de sæculo transeuntibus, si dignè pœnituerint, non negatur. *Can. Virginibus. 14. caus. 27. q. 1.*

Quæres *quartò*. An consilii Eucharistiæ sæpius sumere?

R. S. August. in *Can. quotidie. 13. de Consecr. dist. 2.* ait: Quotidie Eucharistiæ Sacramentum percipere nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor: si tamen mens sine affectu peccandi sit. Interim iste Panis quotidianus est: accipe quotidie, quod quotidie tibi proficit: sic vive, ut quotidie mercaris accipere. *Can. non iste. 56. de Consecr. dist. 2.*

Quæres *quintò*. Quale ad communionem requiritur jejunium?

R. Nullus post cibum & potum quemlibet minimum sumptum missas facere præsumat. *Can. nihil. 16. caus. 7. q. 1.* Sed Sacramenta Altaris non nisi à jejuniis celebrentur. *Can. Sacramenta. 49. de Consecr. dist. 1.* Et quamvis constet, quod quando primum Apostoli acceperunt Corpus & Sanguinem Domini, non eos

acce-

accepisse jejunos : non ideo calumniandum est universæ Ecclesiæ , quod à jejunis semper accipitur ; ex hoc enim placuit Spiritui Sancto , ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret , quam cæteri cibi. *Can. liquidò. 54. de Consecrat. dist. 2.* Dies autem more Romano à medietate noctis incipit , & in medio noctis definit subsequenti. *Cap. consuluit. 24. de Offic. Judic. delegari.* Post communionem etiam non statim ad communes cibos accipiendos conveniatur. *Can. tribus. 23. de Consecr. dist. 2.*

Quæres sextò. Qualis ad communionem corporis puritas requiritur ?

R. A sordibus incontinentiæ , imò si ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis , ita , ut quod cogitavit sciens , hoc pertulit nesciens , propter talem pollutionem à Sacro Mysterio eâ die abstinere oportet. *Can. testamentum. 1. dist. 6. 2dò.* Si Panes propositionis non poterant ab iis , qui uxores suas tetigerant comedi , quanto magis Panis ille , qui de cælo descendit , non potest ab his , qui conjugalibus paulò ante hæserè complexibus , violari atque contingi ? Non quod nuptias condemnemus ; hoc enim non dicimus , sed quod eo tempore , quo carnes agni manducaturi sumus , vacare operibus carnis non debeamus. *Can. sciatis. 1. caus. 33. q. 4.*

Quæres septimò. Quæ animæ puritas ad communionem necessaria ?

R. Communicans debet esse immunis imò à peccato mortali , ita , ut nullus sibi conscius peccati mortalis , quan-

tumvis sibi contritus videatur , absque præmissâ Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat : quod si necessitate urgente Sacerdos peccati mortalis conscius , absque præviâ confessione , eò quod desit copia confessoris , celebraverit , quam primùm confiteatur. *Trident. Sess. 13. cap. 7. 2dò.* Sit mens sinè affectu peccandi venialiter : nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur , peccandi non habeat de cæterò voluntatem , & communicaturus satisfaciatur lacrymis & orationibus , & confidens de Domini miseratione , qui peccata piæ confessioni donare consuevit , accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus : sed hoc de illo dico , quem Capitalia & mortalia peccata non gravant. *Can. quotidie. 13. de Consecr. dist. 2.*

Quæres octavò. Qualis ad communionem requiritur devotio ?

R. Hæc tria habere debet , qui vult accipere corpus Christi : timorem filialem , fidem & dilectionem : timorem docet Apostolus : *Qui manducat , & bibit indignè , judicium sibi manducat , & bibit :* Fidem edocet nos sermo Domini dicens : *Hoc est Corpus meum.* Et cum anima fidem habet his dictis , & considerat magnificentiam gloriæ ipsius , & admiratur nimietatem humilitatis , quomodo talis ac tantus obediens fuit Patri usque ad mortem pro nostra vita , provocatur ad affectum & dilectionem ipsius & DEI Patris , qui unico Filio non pepercit , sed pro nobis omnibus

tradidit illum, Talem affectum & fidem præparare debet in animo suo is, qui Panem & Calicem Domini percipit. *Can. timorem. 25. de Consecr. dist. 2.*

Quæres nono. Quinam à S. Communionem accendi?

R. 1mo. Parvuli usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Neque tamen ideo damnanda est antiquitas, si cum morem in quibusdam locis aliquando servavit. *Trident. Sess. 21. cap. 4.*

2do. Amentibus à nativitate non est dandum hoc Sacramentum: bene tamen in articulo mortis iis, in quibus, cum erant rationis compotes, apparuit devotio hujus Sacramenti.

3to. Nulli existenti in mortali crimine notorio & manifesto impertienda est Eucharistia. *Can. pro dilectione tua. 95. de Consecr. dist. 2.*

4to. Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ, hoc est, divites in peccatis, sive peccatores, & hoc si occulti sunt, sed exactorem moneat timere, id est, DEUM, qui reverà exactor est, inquirendo merita singulorum. *Can. non prohibeat. 67. de Consecr. dist. 2.*

Quæres decimo. An Communio sub utraque specie danda?

R. Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod à confitentibus sub utraque specie, & à Laicis tantum sub specie Pa-

nis accipiatur. Cum firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & Sanguinem tam sub specie Panis, quam sub specie Vini contineri. *Concilium Constantiense. Sess. 13.* Ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne ullus Presbyter populum sub utraque specie communitet. Hoc præceptum Ecclesiasticum non repugnare præcepto divino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis,* probat *Trident. Sess. 21. cap. 1.*

Quæres undecimo. Cujus est Eucharistiæ dispensare?

R. 1mo. In Sacramentali sumptione semper in Ecclesia DEI mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent. *Trident. Sess. 13. cap. 8.* *2do.* Ordinarius Minister Eucharistiæ dispensans est Presbyter Parochialis, Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ non habità Parochialis Presbyteri licentiâ speciali, præterquam in casibus à jure expressis, vel Privilegiis à Sed. Apostolic. concessis eisdem, ministrare præsumserint, ipso facto excommunicationis Sententiam incurrunt, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi. *Clement. 1. de Privileg.*

Quæres duodecimo. Quis Sacræ Communionis effectus?

R. Illos expressit *Trident. Sess. 13. cap. 2.* Sumi autem voluit hoc Sacramentum tanquam Spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dicit: *Qui manducat me,*

& ipse vivet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præfervemur. Pignus præterea id esse vo-

luit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit.

§. Sextus.

Sacrificio Missæ.

Quæres primò. An detur in Ecclesia Sacrificium?

R. Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur, in qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium JESUS Christus, cujus corpus & Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus Panis & Vini veraciter continentur. Cap. firmiter. 1. de Summ. Trinit.

Quæres secundò. Qualiter in Missa vel consecratione est Sacrificium?

R. Sicut cœlestis Panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur corpus Christi, cum reverà sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. Can. hoc est. 48. de Consecr. dist. 2.

Quæres tertio. An idem sit Sacrificium cruentum in cruce, quod incruentum in Missa?

R. Una est Hostia, & non multæ. Quomodo una, & non multæ? quia

semel oblatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius, idipsum & semper idipsum. Can. in Christo. 53. de Consecr. dist. 2. Hæc salutaris victima illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens à mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur; tamen in semetipso immortaliter & incorruptibiliter vivens pro nobis in hoc mysterio moritur. Can. quid sit Panis. 73. de Consecr. dist. 2.

Quæres quarto. Cur iteratur roties idem Sacrificium?

R. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne per unam eandemque mortis passionem semel salvaverit mundum: quia profectò Sapientia DEI Patris pro multis causis necessarium hoc providit. Primò quidem, quia quotidie peccamus: ideo quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur, & passio Christi in ministerio traditur, ut qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiva delictorum per hæc Sacramenta corporis & Sanguinis peccata relaxet. 2dò iteratur hoc mysterium ob commemorationem

N n 3 passio-

passionis Christi, sicut ipse ait: *Hoc facite in meam commemorationem &c.* semper enim mors Christi pro sæculi vita posteris nuntianda est, ut discant, quã charitate dilexit suos, qui pro eis mori dignatus est, cui omnes vicem debemus rependere charitatis: quia ad hoc nos prior dilexit, cum essemus gehennæ filii, ut diligeremus eum à morte jam liberati. *Can. iteratur. 71. de Consecrat. dist. 2.*

Quæres quintò. In qua parte Missæ essentia Sacrificii consistit?

R. In sola consecratione. Nam per reliqua omnia, quæ in Missa dicuntur laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venit, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. *Can. Panis. 55. de Consecr. dist. 2.* Sacerdos autem in persona Christi loquens conficit hoc mysterium. *Concil. Florent. in Decret. union.*

Quæres sextò. An unam speciem sine alia consecrare liceat?

R. Negativè. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi Sacrilegio non potest provenire. *Can. compertimus. 12. de Consecr. dist. 2.*

Quæres septimò. An in singulis Sacrificiis communicandum?

R. Affirmativè. Nam quale erit illud Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi in Altari immolat, toties perceptionis corporis &

Sanguinis Christi participem se præbeat. *Can. Relatum. 11. de Consecr. dist. 2.*

Quæres octavò. An Sacrificium imperfectum per alium Sacerdotem suppleri debeat?

R. Cum à Sacerdotibus Missarum tempore Sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœprum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpri. *Can. nihil. 16. caus. 7. q. 1.*

Quæres nonò. Quo tempore, loco, quibus cœremoniis celebrandum?

R. Missæ ante horam diei tertiam non sunt celebrandæ: quia & eadem hora Dominus Crucifixus est, & Spiritus S. super Apostolos descendisse legitur. *Can. nocte. 48. de Consecr. dist. 1. Trident. Sess. 22. in Decret. de observ. in celebr. Miss.* Prohibet ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent.

2dò. Non est permittendum, ut in privatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, atque ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab Ordinariis designanda Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus aut Regularibus quibuscunque peragatur. *Trident. loc. cit.* Satius est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate. *Can. sicut. 11. de Consecr. dist. 1.*

3tò. Non alios ritus aut alias cœremonias, & preces in celebratione Missarum adhibere debent Sacerdotes, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. *Trident. loc. cit.*

Quæ-

Quæres *decimò*. Quoties de die Sacrificandum?

R. Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Nec modica res est unam missam facere, & valde felix est qui unam dignè celebrare potest. *Can. sufficit. 53. de Consecrat. dist. 1.* Excipitur Natalis Domini, quando tres Missæ celebrari possunt. *cap. consulisti. 3. de celebr. Miss. Cujus significationem dat Gloss. in can. nocte. 48. de Consecr. dist. 1.*

Quæres *undecimò*. An licitum Sacerdoti accipere stipendium?

R. Affirmativè. Dummodò moderatum. Cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, & illiberales elemosynarum exactiones potius quam postula-

tiones, aliæque hujusmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi questu non longè absunt, omninò ab Ordinariis prohiberi jubet *Trident. in decret. de observ. in celeb. Miss.*

Quæres *duodecimò*. An uno Sacrificio pluribus obligationibus satisfieri possit?

R. Negativè. Si pro pluribus Missis plura stipendia quantumcunque incongrua & exigua collata fuerint, tot Missæ celebrandæ, quot ad rationem elemosynæ præscriptæ fuerint, etiamsi Ordinarius præscripserit elemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum: ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. *Urb. in. VIII. in constit. innovata ab Innoc. XII.*

§. Septimus.

D E

Auditione Missæ.

Quæres *primò*. An præceptum audiendi missam?

R. Missas die Dominico Sæcularibus totas audire speciali Ordine præcipimus. *Can. missas. 64. de consecr. dist. 1.* quod ad dies festivos extenditur. *Cap. licet. 3. de feriis. cap. ut Dominicus. 2. de Parochiis.*

Quæres *secundò*. Quinam hoc præcepto tenentur?

R. Omnes fideles usu rationis capa-

ces, quin & Episcopus sinè Missâ vel celebratâ vel auditâ non decet transire ullum diem absque causa rationabili. *Cap. fin. de privil. in 6.*

Quæres *tertiò*. Qualiter fideles ad Missam accedere debent?

R. Sit ad Ecclesiam humilis & devotus ingressus, sit in eis quieta conversatio, DEO grata, inspicientibus placida, quia decet domum Domini Sanctitudo, decet, ut cujus in pace factus

factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus. *Cap. decet. 2. de immunit. Eccles. in 6.*

Quæres *quartò*. Qualis in Missa requiritur attentio?

R. Requiritur attentio ad minus virtualis, & ut corporaliter missæ interessendo nihil exterius faciant; quod tali repugnat attentioni. De parte missæ loquitur *can. Apostolica, 68. de consecrat. dist. 1.* Dum Sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes præsentés non sedentes, sed Venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes Dominica verba attentè audiant, & fideliter adorent.

Quæres *quintò*. An tota, missa audienda?

R. Tota, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur. *Can. Missas. 64. de consecr. dist. 1.* Satisfacere præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit, damnatum est ab Innoc. XI. prop. 53.

Quæres *sextò*. Ubi missa audienda?

R. Jure cautum est diebus Dominicis & festivis Parochianos teneri audire missam in eorum Parochiali Ecclesia: nisi forsitan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent. *cit. cap. ut in Dominicis. de paroh. Extray. vices. intercom. de treug. & pace. Trident. in cit. decret. de observ. in celebr. Miss.* Præcipit moneri populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedat. Ideo S. Au-

gust. in *Can. & hoc attendendum de consecr. dist. 2.* prohibet missas particulares, quæ per dies solemnes à Sacerdotibus fiunt, ita in publico fieri, ut propter eas populus à publicis missarum solennibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt, abstrahatur.

Quæres *septimò*. An Parochianus in foro conscientia tutus, qui diebus Dominicis & festivis missam extra Parochialem audit Ecclesiam?

R. Suppositis privilegiis & Generali consuetudine, quæ vim privilegii habet, *cap. cum dilectus. 5. de consuetud.* nullam meretur censuram, qui docet, nullum in foro conscientia teneri parochia suæ interesse ad missam audiendam. Ita Alexand. VII. in speciali Decreto Anno 1659. die 30. Januat. emanato.

Quæres *octavò*. An præceptum audiendi Missam graviter obliget?

R. Affirmativè. Colligitur ex Verbo *Præcipimus*, in *cit. Can. Missas.* Quod præcipitur, imperatur, quod imperatur, necesse est fieri, si non fiat, pœnam habet, ubi præceptum datur, necessitas est servientis. *Can. quisque. 3. caus. 14. q. 1.*

Quæres *nondò*. An per solam audicionem Missæ & feriacionem ab operibus servilibus satisfiat præcepto de die festo Sanctificando?

R. Minimè gentium, sed die Dominico nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum, nulla operatio in illa die Sanctâ agatur, nisi tantum Hymnis & Psalmis & Canticis Spiritualibus dies illa tranfigatur. *Can. jejunia, 16. de Consecr. dist. 33.*

dist. 3. Aurea sunt verba Imperatoris in *l. fin. C. de feriis.* Dies festos Majestati altissimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactio- num vexationibus profanari. Domini- cum itaque diem ita semper honorabi- lem decernimus & venerandum, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quenquam urgeat admonitio &c. Nec hujus tamen Religiosi diei otia relaxan- tes obscænis quenquam patimur volu- ptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis &c. amissionem militiæ, proscriptionemque patri- monii sustinebit, si quis unquam hoc die spectaculis interesse præsumpserit, &c.

Quæres *decimò.* Quinam à Missa excludendi?

Re. Trident. in cit. Decret. de observ. in celebr. Miss. Præcipit: neminem, qui publicè & notoriè criminofus sit, aut Sancto Altari ministrare aut Sacris interesse permittant. *In cap. 2. de Paroch.* Mandatur, ut Dominicis & Festivis diebus Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant, & ad suam Parochiam redire compellant. Idem repetit. *Can. in Dominicis. 4. caus. 9. q. 2.*

Quæres *undecimò.* An Parochus sin-

gulis diebus Dominicis & festivis Parochianis Missam applicare teneatur?

Re. Cum præcepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis sacrificia offerre, *S. Congreg. Conc. Trident.* interpretum Anno 1681. declaravit: si reditus pingues, singulis diebus Dominicis & festivis, si verò tenues, saltem diebus festivis sacrificium applicandum esse.

Quæres *duodecimò.* An famuli excusentur, qui ex mandato Domini ab auditione Missæ impediuntur?

Re. Negativè. Constat ex *Can. an putatis. dist. 86.* ubi Dominus die festo servos fortasse magis ad Ecclesiam festinantes secum pertrahens, ad venationem dicitur voluptatibus suis peccata accumulare aliena, & reum se facere tam suo delicto quàm perditione servorum.

Cæterùm fidelem ab auditione Missæ diebus Dominicis & festivis impotentia physica vel moralis excusat, ob quam sine magna difficultate Missæ interesse non possit. Huic tractatui finem impo- nentes cum *Gloss. in cit. Can. semel. 52. de Consecr. dist. 2.* Ita Eucharistiæ Authorem precari placet:

Quos recreas JESU tam Sacri
corporis esu,

A vitiiis munda sacrați Sanguinis
undâ.



TITULUS V.

DE

Sacramento Pœnitentiæ.

DE hac materia agitur in decreto *dist. 50. item caus 26. à §. Ecce quod. Can. ministrare 3. item caus. 33. q. 2. Can. de his. 12. & seqq.* & q. 3. per septem distinctiones de eadem tractatur. Demum in decretalibus, *lib. 5. tit. 38. de Pœnit. & Remiss. qui repetitur in 6. Decretal. & Clementinis.*

§. Primus.

DE

Virtute Pœnitentiæ.

QUæres primò. Quid est Pœnitentia?

R. Variæ sunt descriptiones virtutis Pœnitentiæ? imò est Sancti Augustini in *Can. Pœnitentiæ. 4. dist. 3. de Pœnitent. Pœnitere est pœnam tenere pœnitentiæ est quedam dolentis vindicta, puniens in se, quòd dolet commisisse. 2da S. Ambrosii in Can. Ecce. 39. dist. 1. de Pœnit. Pœnitentiæ vera est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit. Pœnitentiæ est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere: id est, ut ait *Gloss. in Can. falsas pœnitentiæ. 6. dist. 5. de Pœnit.* In nullo mortali perseverare, vel propositum non perpetrandi habere. Coincidit 3tia Innocent. III. *In cap. novimus. 27. de Verb. signif.* Ubi reum mandat in perpetuum carcerem includi Pane doloris &*

aquâ angustia sustentandum, ut commissa defleat, & deflenda ulterius non committat, 4ta est *S. Thom. 3. p. q. 85. a. 3. 0.* Pœnitentiæ est virtus specialis, quâ pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa DEI, cum emendationis proposito. Est pars iustitiæ; quia pœnitentiæ recurrit ad DEUM cum emendationis proposito, sicut servus ad Dominum, ut per injuriam læso satisfaciatur, juxta illud *Psalm. 122. sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum: ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum donec misereatur nostri: & sicut Filius ad Patrem, ut per obedientiam placet, secundum illud *Luc. 15. Pater peccavi in cælum & coram te: & sicut ad virum, cui fidem non servavit, ut reconcilietur, recurrit mulier: secundum illud *Jerem. 3. Fornicata es cum amatoribus***

coribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus. Ita Theologorum Scholasticorum: Pœnitentia est virtus moralis infusa, pars potentialis justitiæ, inclinans voluntatem ad detestandum peccatum, ut reparetur injuria DEO per peccatum illata.

Quæres secundò. Quot sunt actus virtutis pœnitentiæ?

R. Tres 1. Contritio cordis, vel conversio. 2. Oris confessio. 3. Operis satisfactio. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter perferre: in corde ejus contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta & fructifera pœnitentia, *Can. perfecta. 8. dist. 3. de Pœnit.*

Dicitur 1. Cordis conversio, quasi cordis undique versio, nam si cor nostrum undique à malo ad DEUM vertitur, mox suæ conversionis fructum meretur, ut DEUS ab ira sua ad misericordiam conversus peccati præstet indulgentiam, cujus imò præparabat vindictam. *Can. convertimini. 34. dist. 1. de Pœnitent. §. conversio.* Primum locum inter actus pœnitentis habet animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, quæ contritio non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continet; juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum. *Trident. Sess. 14. cap. 4. de Pœnit.*

2dò. Oris confessio, quæ est pars exterioris satisfactionis, *Can. scindite. 33.*

dist. 1. de Pœnit. Scindite corda vestra, & non vestimenta dicit Dominus, ostendens in contritione cordis, quæ in eisdem scissione intelligitur, non in confessione oris, quæ pars est exterioris satisfactionis, quam scissuram vestium nominavit, à parte totum intelligens, peccata dimitti.

3tid. Satisfactio operis. Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. *Can. Satisfactio. 3. dist. 3. de Pœnitent.* Sinè causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit evellere: Radix autem malorum omnium est cupiditas. *Can. quia. 13. dist. 2. de Pœnit.*

Quæres tertio. Quotuplex est pœnitentia?

R. Variæ sunt divisiones pœnitentiæ. Dividitur 1. in veram pœnitentiam, cui venia nunquam negatur, & in falsam, cui nunquam indulgentia promittitur. *Can. in tantum. 33. §. sive autem. dist. 3. de Pœnit.* 2. In perfectam & imperfectam. Ratio est: Sicut enim charitas alia est incipiens alia proficiens, alia perfecta: sic & pœnitentia alia est incipientium, alia proficientium, alia perfectorum. *Can. quamvis. 22. ibid. 3.* Alia est pœnitentia solemnis & publica, alia privata. Solemnis semel tantum in Ecclesia conceditur, de qua S. Ambrosius ait: sicut est unum baptisma, ita una est pœnitentia. *Can. si quis. 61. §. potest. dist. 50.* Et ratio est: ne medicina utilis nimis vilis habeatur. Privata iterari potest, quia quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam privatam venia

denegatur. *Can. quamvis. 62. ibid. junct. Gloss. 4.* Pœnitentia alia est exterior, alia interior. De interiori dicitur: In quacunque hora peccator conversus fuerit &c. de exteriori pœnitentia S. Ambrosius ait super *Epist. ad Rom.* Gratia DEI in baptisate non quærit gemitum, vel planctum, non opus aliquod, sed solum cordis contritionem, & omnia gratis condonat. *Can. quis aliquando. 87. s. his autoritatibus. dist. 1. de Pœnit.*

Quæres *quartò.* Quæ est falsa pœnitentia?

R. 1mò. Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. *Can. si res. 1. caus. 14. q. 6. 2dò.* Si peccata non deferantur, qui admissa plangit, nec tamen deserit, penè graviori culpæ se subjicit, quia ipsam, quam flendo impetrare potuit veniam, contemnit. *Can. qui admissa. 14. dist. 3. de pœnit.* Isaias peccatoribus dicit: Lavamini mundi estote: lavatur igitur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit: lavatur & non est mundus, qui plangit, quæ gessit, nec tamen deserit, sed post lachrymas ea, quæ fleverat, repetit. Unde dicitur irrisor non pœnitens, qui adhuc agit, quæ pœnitet. *Can. irrisor. 11. ibid.* Aptum est simile in *Can. ille. 9. ibid.* Qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi si quis laverit laterem erudum: quia quantò magis laverit, tantò magis lutum facit. Ratio est defectus efficaciæ voluntatis. Si pœnitens es, pœniter te; si non pœnitet, pœnitens non es: si ergo pœni-

ter cur facis, quod malè fecisti? si fecisse pœnitet, noli facere: si adhuc facis, certè non es pœnitens. *Can. pœnitentes. 10. ibid. 3tò.* Falsam pœnitentiam esse constat, cum spreto pluribus de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est: Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus, scilicet quantum ad vitam æternam. *Can. Fratres. fin. dist. 5. de Pœnit. 4tò.* Falsa fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel Curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullâ ratione prævalet: aut si odium in corde gestetur, aut si non offenso cuilibet satisfiat, aut si non indulgeat offendentis offensum, aut si arma quis contra justitiam gerat. *cit. Can. fratres.*

Quæres *quintò.* Quid pœnitentia publica?

R. Vel est solemnis, quam propter majora crimina Episcopus in capite jejunii servatâ certâ rerum formâ & cœremoniâ delinquentibus imponit. Ritus & forma illius describuntur in *Can. in capite quadragesimæ. 64. dist. 50.* Vel est non solemnis, quæ publicè nullâ servatâ juris solemnitate peragenda injungitur, qualis est peregrinatio, certa habitus delatio &c. & non nisi ob manifesta crimina injungitur.

Quæres *sextò.* An pœnitentia necessaria?

R. Fuit pœnitentia universis hominibus, qui se peccato aliquo mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria: quia fuit

fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum motus contritionis necessarius. *Trident. Sess. 14. cap. 1. & 4.*

Quæres septimò. Quoties pœnitentia necessaria?

1^o. Pœnitentia novum hominem parturit, donec per baptismum salutarem omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum; omnis enim, qui jam arbitri suæ voluntatis constitutus est, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, parvuli soli sunt immunes; nondum enim uti possunt libero arbitrio. *Can. tres sunt. 81. dist. 1. de pœnitent. Concordat Trident. Sess. 14. cap. 1.* Etiam illis, qui Sacramento baptismi ablui petunt, necessaria est pœnitentia, ut perverfitate abjectâ & emendatâ tantam DEI offensionem cum peccati odio & pio animi dolore detestentur.

2^{do}. Pœnitentia pro illis peccatis necessariò subeunda est, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: quoniam qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt. *cit. Can. tres sunt.* Ratio est: Quia motus contritionis hominem post baptismum lapsum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad suscipiendum ritè Sacramentum pœnitentiæ requiruntur. *Trident. Sess. 14. cap. 4.*

3^{io}. Pœnitentia etiam fidelium bonorum & humilium pœna est quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut &

nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in baptismo, sed illa utique, quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra obrepunt, atque ita humiliantes animas nostras quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus. *Cit. Can. tres sunt.*

Quæres octavò. Quanto tempore agenda pœnitentia?

1^o. In agenda pœnitentia non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris: Cor enim contritum & humiliatum DEUS non spernit. *Can. in actione. 84. dist. 1. de Pœnit.* Apud DEUM non tam valet mensura temporis, quàm doloris: nec abstinencia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorum. *Can. mensuram. 86. ibid.* Hæc intelligenda sunt de pœnitentia actuali exteriori: aliàs pœnitentia interna semper habitu est agenda; si enim pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? tamdiu gaudeat & speret de gratia, quamdiu sustentatur à pœnitentia; dicit enim Dominus: Vade & jam noli amplius peccare: non dixit, ne pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor continuè in pœnitentia custodiat? Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia; si contigerit, semper doleat, & non satis, quod doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat. S. August. relatus in *Can. si Apostolus. 5. dist. 3. de Pœnitent.*

Quæres nonò. An semper locus pœnitentiæ?

O o 3 24. Affir-

R. Affirmativè. Probatur ex S. Hieronim. in *Can. septies. 23. dist. 3. de Pœnitent.* Septies cadit justus & resurgit. Si cadit, quomodo justus? si justus, quomodo cadit? sed justus vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit, & non solum septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Cui plus dimittitur, plus diligit. Per pœnitentiam igitur non semel tantum, sed sapissimè peccata dimittuntur. Ratio est: Quia DEUS ad subveniendum paratissimus invitans ad pœnitentiam, sic promittit peccatori inquitens: In quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. *Can. agnovimus. 13. caus. 26. q. 6.* Et idèdè quamvis pœnitentia fera non sit semper vera, vera tamen esse potest, ut probatur exemplo latronis in cruce: perdidisset latro præmium in cruce ad dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna, pœnituit, & per unius sermonis professionem habitaculum Paradisi DEO promittente promeruit. *Cit. Can. agnovimus.*

Quæres decimò. An per virtutem pœnitentiæ vel actus virtutis pœnitentiæ extra Sacramentum peccata remittantur?

R. Affirmativè, ut definivit *Concilium Trident. Sess. 14. cap. 4.* Contritio charitate perfecta hominem DEO reconciliat, priusquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur. Id pluribus probat Gratianus in *Can. convertimini. 34. dist. 1. de Pœnit.* Leprosi illi, quibus Dominus præcepit, ut ostenderent se Sacerdoti-

bus, in itinere, antequàm ad Sacerdotes venirent, mundati sunt; ex quo factò nimirum datur intelligi, quod antequàm Sacerdotibus ora nostra ostendamus, id est: peccata nostra confiteamur, à lepra peccati mundamur. Hinc etiam ut Dominus ostenderet, quod non Sacerdotali judicio, sed largitate Divinæ gratiæ, peccator emundatur, leprosum tangendo mundavit, & postea Sacerdoti sacrificium ex lege offerri præcepit: leprosus enim tangitur, cum respectu Divinæ pietatis mens illustrata compungitur: leprosus semetipsum Sacerdoti repræsentat, dum peccatum suum Sacerdoti pœnitens confitetur; Sacrificium ex lege offert, dum satisfactionem Ecclesiæ judicio sibi impositam factis exequitur. Sed antequàm ad Sacerdotem perveniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confessionem oris peccati venia indulgetur.

Contritionem vel pœnitentiam perfectam extra Sacramentum justificantem ita describit Gratianus in *Can. quis aliquando. 87. §. his autoritatibus. dist. 1. de Pœnitentia.* explicans illud: In quacunque hora peccator conversus fuerit, &c. *Converti dicitur, qui omnino vertitur, cujus opus, vox, & cogitatio ita mortificationi desudat peccati, sicut prius servierat iniquitati.* Ipsa nihilominus reconciliatio perfectæ contritioni sinè Sacramenti voto, quod in illo includitur, non est ascribenda. *Trident. loc. cit.*

Quæres undecimò. An quæcunque pœnitentia peccatum remittit?

R. Negativè. Ut *Trident. loc. cit.* definit, Contritio imperfecta, quæ attritio

tio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, est quidem donum DEI, & Spiritûs S. impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justiciam parat; attamen finè Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit, sed solum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.

Quæres duodecimò. An homo per pœnitentiam interioriorem sive extra sive intra Sacramentum justificatus debeat adhuc facere Pœnitentiam exterioriorem?

R. imò. Affirmativè. Ratio est: quia productior est pœna quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna, ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad

emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, quem jam ad damnationem sempiternam rem non detinet culpa. *Can. productior. 7. dist. 3. de Pœnitent.*

R. 2dò. Pœnitentia illa exterior debet correspondere & esse proportionata peccatis commissis, constat ex *Can. quis aliquando. 87. §. econtra. dist. 1. de Pœnitent.* Venientibus ad se turbis B. Joannes non ait simpliciter: Facite pœnitentiam, vel fructus pœnitentiæ, sed addidit: *dignos*, ut pro qualitate videlicet peccatorum qualitas offeratur bonorum operum: non enim par debet esse fructus boni operis ejus, qui nihil vel parùm deliquit, atque ejus, qui grandia commisit. Ille tanquam nullius criminis sibi conscius usum sibi in rebus licitis præbet: hunc tanquam multis gravatum etiam à licitis temperare oportet.

§. Secundus.

D E

Sacramento Pœnitentiæ.

Quæres primò. An Pœnitentia Sacramentum?

R. Affirmativè. Quia si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga DEUM esset, ut justiciam in baptismo ipsius beneficio & gratiâ susceptam constanter ruerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum; quo-

niam autem DEUS dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui se se postea in peccati servitute & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. *Trident. Sess. 14. cap. 1.*

Quæres

Quæres *secundò*. An Pœnitentia fuerit semper Sacramentum?

R. Nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec post adventum illius cuiquam ante baptismum est Sacramentum. *Trident. loc. cit.*

Quæres *tertiò*. Quando hoc Sacramentum institutum?

R. Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum S., quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos. Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, univ. forum Patrum consensus semper intellexit. *Trident. loc. cit.*

Quæres *quartò*. Quæ materia Sacramenti pœnitentiæ?

R. Quasi materia hujus Sacramenti sunt ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex DEI institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. *Trid. loc. cit. cap. 3.*

Quæres *quintò*. Quæ forma hujus Sacramenti?

R. Sacramenti pœnitentiæ forma, in qua præcipuè ipsius vis est sita, in illis ministri verbis posita est: *Ego te absolvo &c.* Quibus quidem de Ecclesiæ San-

ctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria. *Trident. loc. cit.*

Quæres *sextò*. Quis minister Sacramenti pœnitentiæ?

R. Solus Sacerdos sive bonus sive malus, constat ex *Trident. loc. cit. cap. 6.* ubi imò Damnat eos, qui ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: *quacunq; alligaveritis super terram, erunt ligata in celo, & quorum remisistis peccata soluta sunt,* ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè contra institutionem hujus Sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta verò per spontaneam confessionem cuicunque factam, 2. Docet etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus S. in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere: eosque pravè sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. *Arg. can. secundum. 7. dist. 19. can. non nocet. 89. caus. 1. q. 1.*

Quæres *septimò*. An Sacerdos absolvens peccata remittat?

R. Affirmativè. Quamvis enim absolutio Sacerdotalis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata,

ra,

ta, sed adinstar actûs judicialis, quo ab ipso veluti Judice sententia pronuntiat; atque ideo non debet pœnitens ad eò sibi de sua fide blandiri ut etiam si ibi nulla adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, verè & coram DEO esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentiæ remissionem ullam peccatorum præstaret: nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem sedulò requireret. *Trident. loc. cit.*

Quæres octavo. Quodnam est subjectum Sacramenti pœnitentiæ?

R. Omnis baptizatus post baptismum lapsus: quia si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari. *Cap. firmiter. §. una verò. 1. de Sum. Trinit.* Cum ii, qui ab accepta justificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rursus justificari possint, cum excitante DEO per pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus JESUS Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum &c. *Trident. Sess. 6. cap. 14.*

Quæres nono. Quis effectus pœnitentiæ?

R. Res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum DEO, quam interdum in viris piis, & cum devotio-

R, D, Schmorrenberg Instit. J. Can.

ne hoc Sacramentum suscipientibus conscientiæ pax & serenitas cum vehementi Spiritûs consolatione consequi solet. *Trid. Sess. 14. cap. 3.*

Quæres decimo. Quænam analogia inter Sacramentum pœnitentiæ & baptismi?

R. DEUS, cujus misericordiæ non est numerus, misericorditer semper agens ad salutem peccatorum. *Can. quia divinitatis. 73. Dist. 1. de pœnitentiâ.* Per hujus mundi pelagus periculosè navigantibus duas naves sive tabulas præparavit, prima navis est baptismus, in quo vetus homo exiit & novus induitur, *Cap. quidam. 4. de Apostat.* 2da tabula sive navis est pœnitentiâ, quæ per mortale peccatum naufragium passis est necessaria. *Can. secunda. 72. Dist. 1. de pœnitentiâ. Trident. Sess. 6. cap. 14.*

Quæres undecimo. Quæ differentia inter Sacramentum baptismi & pœnitentiæ?

R. Cum *Trident. Sess. 14. cap. 2.* Hoc Sacramentum multis rationibus à baptismi differre dignoscitur: 1mo in materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè distat. 2do. Constat ministrum baptismi judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus: quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt judicare? secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit: nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismi

P p

ptismo

ptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nullâ ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sibi voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari. 3^{id} Pœnitentia Christiani hominis post lapsum multò aliâ est à baptis- mali; quia continet non modò cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiâ eorum Sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, & Sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleëmofynas, orationes & alia piâ Spirituales vitæ exercitiâ, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unâ cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ ut Sacræ literæ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimit- titur illis, qui gratiæ DEI, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, & templum DEI violare non sunt veriti. *Trident, Sess. 6. cap. 14.*

4^{id} Demum alius est baptismi, alius pœnitentiæ fructus; per baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo effimur creatura, plenam & integram omnium peccatorum remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum pœnitentiæ, sinè magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus, ut meritò pœnitentiâ laboriosus quidam baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit. *Trident. Sess. 14. cap. 2.* Quia in Sacramento pœnitentiæ pœna non tota semper, ut in baptismo fit, remittitur illis, qui gratiæ DEI, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, & templum DEI violare non sunt veriti, ut supra ex *Trident.* dictum est.

Quæres *duodecimò*. Quanta necessitas Sacramenti pœnitentiæ?

R. Ita est hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus.

§. Tertius.

D E

Confessione.

Quæres *primò*. Quid est confessio?

R. Confessio dicitur, quasi simul vel ex toto undique factio; nam ille confitetur, qui totum & certum fateretur. *L. certum ff. de Confessis.* Confessio tri-

pliciter fit, aut in foro animæ interius coram DEO, aut in foro pœnitentiæ exterius coram DEI Vicario, aut in foro contentioso coram iudice. Confessionem secundò modo sumptam definit Hostiensis. *tit. de Pœnitentiis & Remiss.* n. 6.

u. 6. Canonica coram Sacerdote peccatorum facta declaratio. De qua *Trident. Sess. 14. cap. 5.* Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam.

Quæres *secundò*. Quare instituta in Sacramento pœnitentiæ confessio?

R. Duæ hujus assignantur rationes:

1. Quia oportet infirmum per contraria atque adversa curari, id est per humilitatis exercitium. *Can. si quis. 1. dist. 2. de Pœnit.* In peccato autem tria attenduntur: impudentia, delectatio, & perpetratio. Contra hæc tria triplici remedio opus est; contra impudentiam confessio, in qua est verecundia, delectationi opponitur amaritudo contritionis, perpetratio opponitur operis satisfactio. *Gloss. in Can. perfecta. 40. dist. 1. de Pœnitent. verb. fructifera.* Erubescencia igitur partem habet remissionis: in hoc enim, quod peccator per se ipsum dicit Sacerdoti, & erubescenciam vincit timore offensus, fit venia criminis, & fit per confessionem veniale, hoc est, dignum veniâ, quod criminale erat in operatione. *Can. quem pœnitet. 88. dist. 1. de Pœnitent. junctâ Gloss.* Hæc confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur. *Trident. Sess. 14. cap. 5.*

Secunda ratio: Quia Dominus no-

ster JESUS Christus è terris ascensurus ad cœlos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides ac Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, ut pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient; constat enim Sacerdotes judicium hoc incognitâ causâ, hoc est: non præmissâ confessione exercere non posse. *Trident. loc. cit.*

Quæres *tertiò*. Quæ peccata confitenda?

R. Oportet pœnitentes omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recensere, etiam si occultissima illa sint; Ratio est: Cum enim peccata mortalia, etiam cogitationes, homines iræ filios & DEI inimicos reddant, necesse est omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à DEO quærere. *Trident. loc. cit. 2dò Venialia*, quibus à gratia DEI non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam rectè & utiliter, citraquæ omnem præsumptionem in confessione dicantur; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. *Trident. loc. cit.*

Quæres *quartò*. An nulla peccata venialia necessariò confitenda?

R. Distinguendum est cum Apostolo, qui tria genera peccatorum venialium, quæ igne transitorio purgatorii purgantur, exprimit illis verbis: *Si quis super hoc fundamentum edificaverit ligna, fœnum & stipulam. imò per ligna majora venialia intelliguntur, quæ si nimis*

sint inveterata, vel in consuetudinem deducta, ex ipsa frequentatione & contemptu per accidens, ut loquuntur Scholastici, fiunt mortalia, vel ex ipsis mortalia sequuntur; ut enim dicitur *in cap. etsi Christus. 26. de iurejurand. §. quedam.* Quædam prohibentur, quæ per se mala sunt, ut furtum, adulterium, & huiusmodi, quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala, intellige mortaliter, sunt, sed quia, si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur: ut vinum per se malum non est: & tamen prohibet Apostolus dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria,* quoniam ex frequenti & immoderata potatione vini generatur luxuria. Et hoc modo intelligendum est illud S. Augustini: Nullum peccatum adeo veniale, quod non fiat criminale, dum placet. Vitasti grandia: vide ne obruaris arenâ. Ut enim S. Augustinus in *can. tres sunt. 81. dist. 1. de Pœnitentia.* dicit: Quid interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu carina operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? Hæc peccata de se quidem venialia, ab eo tamen, cui per accidens sunt mortalia, in confessione necessariò sunt exprimenda.

2^{do}. Per scænum intelliguntur minora peccata venialia, de quibus in *Can. de quotidianis. 20. dist. 3. de Pœnit.* De quotidianis, brevioribus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.

3^{io}. Demum per stipulam intelliguntur minima peccata, quæ ad confensum non pervenerunt. De his duobus generibus inquit Hostiensis, quod multis aliis modis extra Sacramentum pœnitentiæ mudentur & deleantur.

Quæres quinto. Quid si peccatum mortale in confessione fuerit omissum?

R. 1^{mo}. Qui scienter aliqua mortalia in confessione retinent, vel omitunt, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. *Trident. Sess. 14. cap. 5.* Taciturnitas peccati ex superbia nascitur cordis; ideo enim peccatum suum quisque celare desiderat, ne iniquitas sua aliis manifesta fiat: ne talis reputetur apud homines foris, qualem se jam exhibuit divino conspectui intus. Nec ergo ubi est taciturnitas confessionis, venia est speranda criminis. *Can. quis aliquando. 87. §. econtra ea. dist. 1. de Pœnit.*

R. 2^{do}. Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Non enim plus in Ecclesia à pœnitentibus exigitur, quàm ut, postquam quisque diligentius se excuserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit. *Trident. loc. cit.*

Quæres sexto. Quæ circumstantiæ pecca-

peccatorum in confessione explicandæ?

R. Eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, eò quod sinè iis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere: constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non posse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua pœnitentes peccata declarent. *Trident. cit. Sess. 14. cap. 5.*

Quæres *septimò*. An circumstantiæ intra eandem speciem peccati malitiam notabiliter aggravantes in confessione necessariò à pœnitente explicandæ?

R. Affirmativè. Colligitur ex ratione in quæstione præcedenti à Tridentino allegata: & probatur imò *ex cap. sicut dignum. 6. de Homicidio*. Ubi Alexander III. Episcopo Oxoniensi interroganti, qualiter occisores Archiepiscopi Cantuariensis S. Thomæ absolvere, & qualem pœnitentiam iis injungere debeat, respondet: Cum vir discretus existas, plenius nosti, quod in excessibus singulorum non solum quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, atque conditio pœnitentis sint attendenda, & non solum secundum prædicta, sed secundum locum & tempus, quo delictum committitur, unicuique debet pœnitentia indici, cum idem excessus magis sit in uno, quam in alio puniendus. *Nec dicas*, quod Pontifex loquatur de pœnitentia fori externi: quia idem te-

nendum de Pœnitentia in foro Sacramentali, in quo similiter pœnitentia delicto proportionata esse debet: ideòque omnes circumstantiæ malitiam notabiliter vel augentes vel minuentes sunt ponderandæ.

2dò. In *cap. DEUS 8. de Pœnit. & remiss.* Innocent. III. Confessarios ita instruit: Cum pœnitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam pœnitentis contritionem, per discreti Sacerdotis arbitrium sit moderanda, pensatâ qualitate personarum, & consideratis circumstantiis omnibus competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire. Quomodo confessarii id exequentur, si pœnitens circumstantias notabiliter aggravantes in confessione taceat?

3rid. in *cap. cum causam. 37. de Testibus*. Judici Ecclesiastico injungitur, ut in examine testium diligenter examinet, & de singulis circumstantiis prouenter inquireat; de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientiâ, credulitate, famâ & certitudine. Quod Judex Ecclesiasticus debet facere in foro fori, dum examinat testes, idem incumbit Confessario in foro poli, in quo pœnitens est testis. Ita enim instruitur Confessarius in *cap. omnis utriusque sexus. 12. de Pœnitent. & remissionib.* Sacerdos sit discretus & cautus, ut more periti medici super infundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei

præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.

4^{to}. In *can. aut facta. 19. dist. 1. de Pœnitent. ex tit. ff. de pœnis* refertur, qualiter Judex Sæcularis delictis pœnam imponens, circumstantias ponderare debeat. Aut facta, inquit lex, puniuntur, ut furta, cædes: aut dicta ut convitia: aut scripta, ut falsa, & famosi libelli: aut consilia, ut conjurationes... Hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu &c. Quæ circumstantiæ omnes, quamvis speciem physicam actûs non mutant, mutant tamen speciem moralem, ita, ut tam Judex Sæcularis in foro externo, quam Judex pœnitentialis in foro interno pro diversitate harum circumstantiarum diversum judicium de pœna vel pœnitentia imponenda ferre debeat.

5^{to}. In *can. consideret. 1. dist. 5. de Pœnitent.* S. Augustinus instruit pœnitentem qualiter peccatum considerare debeat, ut illud confiteatur, & de illo doleat. Consideret, inquit, qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitii multiplici executione. Consideret, quantum perseveraverit, & defleat, quod consideranter peccaverit, & quanta virtus fuerit in pugnatione. Sunt enim, qui non solum vincuntur, sed ultrò se peccato offerunt, nec expectant tentationem, sed præveniunt voluptatem, & pertractant secum,

quam multiplici actione vitii delectabiliter peccent. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda.

6^{to}. Denique tenetur pœnitens interrogatus à Confessario fateri consuetudinem, quæ solum est circumstantia malitiam peccati intra eandem speciem notabiliter aggravans, ut constat ex damnata ab Innoc. XI. prop. 63. *Non tenemur confessario interroganti fateri aliqujus peccati consuetudinem.*

Quæres octavo. An confessio dimidiari possit?

R. Minimè: Sic enim S. Augustinus in *cit. can.* relatus, adhortatur pœnitentem: Cautus sit, ne verecundiâ ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit Sacerdotibus manifestare quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda reservant; quod est se laudare, & ad hypocriam tendere, & semper veniâ carere, ad quam per frustra putat totam pervenire.

Quæres nono. An confessio ore fieri debeat?

R. Affirmativè. Præcepit enim Dominus mundandis *Luc. 17.* ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim: ora monstrate: & omnes, non unus pro omnibus: non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum; sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. *Can. quem pœnitet. 88. dist. 1. de Pœnit.* Clemens VIII. Anno 1602. 20. Jun. damnavit hanc propositionem: *Licet per literas seu interquantium Sacerdotum absentis*

absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

Quæres decimò. An in articulo mortis, dum non potest confessio fieri verbis, sufficiat confiteri signis?

R. Affirmativè, quia talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensûs quære re comprobantur. Quod si ægritudine aliquâ ita fuerint gravati, ut quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur. *Can. his. qui. 10. caus. 26. q. 6.* Idem dicitur in *can. is. qui. ibid.* Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, si continuò creditur moriturus, reconcilietur. Hoc extendunt quidam Theologi ad eum, qui nec pœnitentiam petit, nec ob infirmitatem pœnitentiam modò petere potest, si adsint signa vitæ Christianæ.

Quæres undecimò. An pœnitens aliena peccata vel circumstantias peccati proprii alienum peccatum detegentis confiteri teneatur?

R. Distinguendo: Aut sinè alterius peccati deteccionem potest peccatum confitentis sufficienter confessario notificari, vel non; si potest; non est confitendum peccatum alienum; quia tunc

est proditor criminis alterius. Unde super illud Psalm. *Dixi confitebor adversum me injustitiam Domino*, Glossa ait: peccata mea, non aliena, & hoc, nisi fortè notorium esset peccatum alienum.

Aur non potest: & tunc aut per hoc imminet periculum aliquod illi, & tunc non est confitendum, sed sufficit peccatum dicere sinè tali circumstantia, aut non imminet periculum: & tunc debet confiteri. Ita etiam Hostiensis in *cap. Omnis utriusque sexûs. de. Pœnit. & remiss.* Pœnitens se ipsum debet revelare & accusare non alium; nisi quis cognovit matrem suam vel filiam vel aliud quodcunque peccatum commisit, propter cujus circumstantias necesse sit alium nominare.

Quæres duodecimò. Quas condiciones debet habere confessio sacramentalis?

R. A *S. Thom. in 4. Sentent. dist. 17.* numerantur sex decim his versibus:

Sit simplex, humilis confessio,
pura fidelis,

Atque frequens, nuda, discreta,
libens, verecunda,

Integra, secreta, lachrymabilis,
accelerata,

Fortis & accusans, & sit parere parata.

Secundùm Hostiensem ex *cap. Omnis utriusque sexûs. cit.* colliguntur sex qualitates vel proprietates confessionis sacramentalis: *imò* debet esse voluntaria, ut colligatur ex verbo: *studeat*, quasi non expectet se compelli. *2dò* debet esse discreta, quod tangitur verbis illis: *cum ad annos discretionis. 3tò* debet esse secreta, quod notatur in ver-

bo:

bo: *solus*, & constat ex *Can. quamvis. dist. 1. de Pœnitent.* 4^{to} debet esse integra, quod insinuat verbo: *Omnia*, 5^{to} debet esse amara, & hoc notatur per verbum: *Fideliter*: non enim confitetur fideliter, qui contritionem non habet. 6^{to} debet esse obediens, ut colligitur ex verbis illis: *studeat pœnitentiam injunctam propriis viribus implere.*

Marianus Socinus in *cit. cap. omnis utriusque sexûs à n. 52.* Tradit & explicat sex conditiones confessionis: Debet esse, inquit, confessio voluntaria, amara, frequens, discreta, integra, & festina.

1^{mo}. Debet esse *voluntaria*, sicut fuit latronis pendentis in cruce ad latus dexterum. Et quamvis quis dolere debeat propter peccata, quæ commisit, lætari tamen debet propter vitam quam recuperat, & sic in eodem subjecto sub diversis respectibus sunt dolor & læticia juxta illud psalmi: *secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tue lætificaverunt animam meam.*

2^{do}. *Amara* juxta illud psalmi. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Amaritudinis signa sunt verecundia, humilitas, lachrymæ, suspiria, fortitudo, qualis fortitudo fuit in Magdalena, nec minor: quia timor Domini omnem pellit timorem. Promptitudo etiam obedientiæ signum est amaritudinis juxta illud: *factus est pro nobis obediens usque ad mortem.* Obedientia illa describitur in *can. consideret. 1. dist. 5. de Pœnit.* Ponat se omninò in potestate Judicis in judicio Sacerdotis, nihil sibi reservans

fui, ut omnia eo jubente paratus sit facere pro reparanda animæ vita, quæcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam, ut DEUS. Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.

3^{to}. *Frequens*, ut quoties quis per peccatum cecidit, toties per pœnitentiam resurgat. *Can. septies. 23. dist. 3. de Pœnitentia.*

4^{to}. *Integra*: quia non solum peccata omnia, sed omnes circumstantiæ peccatum aggravantes sunt exprimendæ, probatur per *cap. omnis utriusque sexûs. 12. de Pœnit. & remiss. junctâ Gloss. verb. circumstantias.* Sunt ergo exprimenda qualitas, quantitas, persona, locus, tempus, causa, & eventus, prout hujusmodi circumstantiæ aggravant peccatum.

5^{to}. *Discreta.* Quod erit 1. Si discretum querat Confessarium, qui sciat solvere & ligare. *Can. qui vult. 1. dist. 6. de Pœnit. 2.* Si se non excusat, & alium accusat, nisi circumstantia facti sit talis, ut aliter non possit confiteri peccatum, nisi specialiter alium accuset, ut si peccatum fuit commissum cum patre, aut cum matre, ita ut qualitas, quæ aggravat, non sit nisi in uno. 3. Si non fingit peccatum sive circumstantiam peccati; sicut enim confitens non debet celare peccatum, quod fecit, ita nec dicere se commississe, ubi non commisit, etiamsi hoc faceret ex humilitate. *Can. cum humilitatis. caus. 22. q. 2.* 4. Si confessio non fiat verbis aut nominibus

minibus palliatis. 5. Si peccatum secretè, & publicum publicè confiteatur. 6. Si purâ intentione sine hypocrisis confiteatur.

6^{to}. *Festina.* Juxta illud *Ecclesiast.* 5. *Ne tardes converti ad Dominum.* Et S. August. Nullus exspectet, quando jam non possit peccare. Arbitrii enim quærat libertatem, ut dolere possit commissa, non necessitatem. Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipsa relinquat, ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat. *Can. nullus. 6. dist. 7. de Pœ-*

nitent. Est autem festinandum post lapsum ad pœnitentiam propter multa: 1. Propter mortis incertitudinem. 2. Propter peccatorum accumulationem. 3. Propter peccatoris erga gratiam DEI inducentis & exspectantis eum ad pœnitentiam ingratitude. 4. Propter DEI elongationem. 5. Propter minorem ad conversionem habilitatem. 6. Propter periculosam finalem conversionem. 7. Propter DEI oblivionem & clamoris non exauditionem.

§. Quartus.

D E

Contritione.

Quæres primò. Quid circa dolorem, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, Ecclesia definivit?

1^o. Duo velut certa ex definitione Ecclesiæ colligimus: 1^{um}, Quod dolor debeat esse supernaturalis, 2^{um}, Quod voluntatem peccandi excludere debeat. Primum colligitur ex damnatione propositionis 57. ab Innocentio XI. facta: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Secundum colligitur ex *Trident. Sess. 14. cap. 4.* ibi: *Contritio, quæ primum locum inter prædictos pœnitentis actus, qui sunt quasi materia Sacramenti pœnitentiæ, habet, est animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; & contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, ad DEI gratiam in Sa-*

R. D. Schnorrenberg *Instit. J. Can.*

cramento pœnitentiæ impetrandam disponit, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ.

Quæres secundò. Quæ circa dolorem, Sacramenti pœnitentiæ partem, in Ecclesia sunt & fuerunt controversiæ?

1^o. Illæ colliguntur ex historia Concilii Tridentini, è scriptis authenticis Cardinalis Pallavicini è Societate JESU collecta, qui *lib. 12. cap. 10.* refert Theologos Concilii Tridentini quoad præsentem materiam in tres partes fuisse divisos. 1^{mo}. Aliqui iique plures volebant in Sacramento pœnitentiæ ex parte pœnitentis necessaria esse timorem, dilectionem, & contritionem. 2^{do}. Alii opus esse contritione perfectâ: nec tamen hinc argui per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum

Qq

jam

jam inveniret remissa efficaciam præsentis contritionis : siquidem, agebant, contritio id præstat virtute Sacramenti, cuius votum in illa continetur. *3^{id.}* Alii demum negabant necessitatem amoris, quamvis in Patrum conventu pauci attigerint huiusmodi quæstionem : An timor pœnæ absque eo, quod ullus exciteretur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento.

Quæres *tertio.* An *Concilium Trident.* aliquid circa opiniones illas inter Theologos controversas definiverit ?

R. Quamvis ex illis, quæ à Concilio definita sunt, in favorem unius alteriusve sententiæ aliqua concludi possint, Patres tamen dicti Concilii contra unam vel alteram discordantium partem definitione strictè dictâ nihil definierunt. Rationem dat *cit. Cardinalis lib. 4. cap. 2. & 10.* Quia Synodus non collecta erat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos, & sat negotii habebat in prohibendis hæresibus, Scholasticis quæstionibus dimissis.

Quæres *quarto.* Quid igitur inter Catholicos & hæreticos circa dolorem controversum erat ?

R. Lutherum inter & Catholicos controversia non erat, utrum attritio ex metu absque benevolentiæ Dei amore proximè cum Sacramento ad reconciliationem sufficeret ; sed an timor gehennæ esset bonus, ad veram pœnitentiam utilis, initium conversionis ; adeoque an attritio de peccatis ex motivo inferni sit actus honestus, dispositio ad salutarem animi contritionem, quod affirmabant Catholicis contra Lutherum dicentem

metum esse in sua substantia malum & peccaminosum, & propterea veræ pœnitentiæ initium esse non posse, sed quidquid ex illo fit, malum & vitiosum fore : ideoque etiam charitatem imperfectam, quia timorem adjunctum habet esse vitiosam : nec dari probatam pœnitentiam, nisi ex perfecto amore Dei perfectaque charitate, quæ foras mittit timorem : omnem autem illam, quæ à timore initium sumit, aut simul est cum timore, & ex imperfecta charitate, malam esse & peccaminosam, hominemque magis peccatorem constituere.

Quæres *quinto.* Quid circa hos errores definivit Ecclesia ?

R. Sequentia : *Trident. Sess. 6. Can. 8. definit.* Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.

2^{do.} Sess. 14. Can. 5. definit. Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium, anathema sit.

3^{id.} Sess. 14. cap. 4. idem Trident. probat utilitatem timoris pœnarum : Hoc enim

enim timore utiliter percussi Ninivite ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt; quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia DEI docuit, nec sensit. Sed & falsò docent contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam. Hucusque Tridentinum.

410. Contra Janfenistas errores Lutheri resuscitantes damnavit Alexand. VIII. propositiones: 14tam: *Timor Gehenna non est supernaturalis.* 15tam: *Attritio, que gehenna & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentie DEI propter se, non est bonus motus & supernaturalis.* 16tam: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad DEUM offensum respectu.*

Quæres sextò. An ex Concilio Tridentino inferri possit dolorem peccatorum ex metu pœnarum conceptum absque ullo DEI amore sufficientem esse ad Sacramentum pœnitentiæ?

R. Videtur dicendum Negative. Illud enim inferri non posset ex alio, quam ex cap. 4. Sess. 14. Ut autem refert Cardinalis Pallavicinus lib. 12. cap. 10. decretum illud. Trident. à quibusdam Theologis hoc modo conceptum erat. Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solùm vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ

& pœnarum metu, qui servilis dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcunque de delictis commissis exprimat, statuit hæc sancta Synodus, & declarat, non solùm non facere hominem hypocritam, ut quidam blasphemare non verentur: verùm etiam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum DEI esse ac Spiritûs S. impulsivum verissimum, non quidem adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus (cum sinè aliquo dilectionis in DEUM motu vix esse queat) viam sibi ad justitiam muniat, & per eum ad DEI gratiam facilius impetrandam disponitur. Verùm cum aliqui ex Patribus opponerent, falsum esse, quod hujusmodi dolor sine amore vix unquam concipi queat; deinde super eo, an attritio talis satis sit Sacramento constituendo, ita, ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare Authorum sententias: mutatum est decretum, & hoc modo propositum, & à Patribus approbatum. Illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat hæc S. Synodus non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum DEI esse, & Spiritûs Sancti impulsivum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam

Qq 2 parat.

parat. Ex quo decreto ita reformato nihil contra Sententiam, quæ ad dolorem, Sacramenti pœnitentiæ partem, amorem aliquem requirit, inferri potest.

Quæres septimò. An ex iis, quæ Tridentinum definiuit, deduci possit, ad dolorem, qui est pars Sacramenti pœnitentiæ, aliquem DEI amorem requiri?

Re. Affirmativè. Quia Tridentinum definiuit pœnitentiam ad baptismum prærequisitam exigere aliquem amorem, ex quo deducitur, etiam pœnitentiam ad Sacramentum pœnitentiæ prærequisitam exigere actum charitatis, cum non major requiratur pœnitentia ad baptismum, quàm ad Sacramentum pœnitentiæ, ut Theologi negantes necessitatem amoris in Sacramento pœnitentiæ facillè concedunt. Antecedens autem probatur.

Imò. Ex formalibus Trident. *sess. 6. cap. 6.* Ubi describens ex professo dispositionem ad justificationem per baptismum obrinendam requisitam imò loco ponit fidem: *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud imprimis à DEO justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU.* Deinde interferit timorem servilem: *& dum peccatores se esse intelligentes, à divina justitiâ timore utiliter concutiuntur.* A quo timore velut à termino à quo peccatores allurgunt ad spem: *ad considerandam*

DEI misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes DEUM sibi propter Christum propitium fore. Adjungit inchoatam DEI dilectionem: *illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt,* non per amorem Spei, tui præcesserat, neque ut bonum nostrum, sed uti in se omnis justitiæ & bonitatis fons est, atque inde tandem Concilium oriri docet odium istud & detestationem adversus peccata, in quo consistit pœnitentia ad baptismum prærequisita: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* Demum sequitur propositum non peccandi de cætero: *dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.*

2dò. Dominicus Soto, qui Tridentino quæ Theologus interfuit in 4. *dist. 14. q. 2. a. 5.* Testatur decretum illud Tridentini sumptum esse ex doctrina S. Thomæ, qui 3. p. q. 85. a. 5. in 0. actus, quibus DEO operanti cooperamur in pœnitentia, eodem ordine, quo Tridentinum enumerat, horum actuum primum principium est DEI operatio convertentis cor secundum illud *Thren. ult. Convertite nos Domine ad te, & convertemur:* Secundus actus est motus fidei, tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur: quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seip-

seipsum, & non jam propter supplicia: Sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam DEI aliquis emendam DEO voluntarius offert. Concludit Doctor noster: Sic igitur patet, quod actus pœnitentiæ à timore fervili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.

3^{to}. Doctrinam Angelicam à Tridentino canonizatam de actibus pœnitentiæ præcedentibus exprimit Catechismus Romanus juxta doctrinam Concilii Tridentini auctoritate S. Pii V. formatus, p. 2. cap. 5. Ubi quærit: quibus velut gradibus ad divinam illam pœnitentiæ virtutem ascenditur? Et respondet hoc modo: Misericordia DEI nos prævenit, cordaque nostra ad se convertit, deinde hoc lumine illustrati per fidem ad DEUM animo tendimus, præterea motus timoris consequitur, & suppliciorum acerbitate proposita animus à peccatis revocatur. Huc deinde procedit spes impetrandæ à DEO misericordiæ, quâ erecti vitam & mores emendare constituimus. Postremò charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis & ingenuis filiis dignus oritur, atque ita unum illud veriti, ne qua in re DEI majestatem lædamus, peccandi consuetudinem deserimus. His igitur quasi gradibus ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitur.

4^{to}. Cum præcedentibus concordant Canones sequentes: sine charitate in nobis non potest esse vera pœni-

tentia. *Can. si quis. 49. dist. 1. de Pœnitent.* Non in solo timore vivit homo, Quem pœnitet, oportet non solum timere DEUM Judicem, sed & justum diligere: non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria. *Can. nullus exspectet. 6. dist. 7. de Pœnitent.*

Quæres octavo. An Tridentinum intelligendum sit de actu charitatis Theologicæ, quâ DEUS diligitur super omnia, vel de actu amoris concupiscentiæ?

2. Quæ Tridentini mens fuerit, colligitur ex illis, quæ Cardinalis Pallavicinus refert *lib. 8. cap. 13. & 14.* ubi modo adducit rationem, quare definitum, quod ad justificationem per Sacramentum baptismi (idem est de Sacramento pœnitentiæ) dilectionis DEI actus prærequiratur: Ideo visum fuisse Concilio, cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si pœnitentia tota esset ex timore, sine amore justitiæ, & dolor esset propter pœnam tantum, & non propter DEI offensam, infructuosa esset pœnitentia, 2^{do} refert Cardinal, cum *cap. 7. ejusdem Sess. 6.* formam justificationis esse diceretur charitatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque iis inheret: aliqui ex Patribus admonuerunt, quomodo id subsisteret, cum *cap. 6.* præcedenti charitas numeretur inter dispositiones, quæ præparant animam ad justitiam suscipiendam? quibus responsum est, quod in *cap. 6.* sermo sit de actu charitatis, in *capite vero 7^o* significetur habitus charitatis.

Adde authoritatem S. Thoma 3. p. q. 86. a. 3. ubi S. Doctor quærit, utrum unum peccatum mortale possit remitti sinè altero? & respondet Negativè, probat autem hoc modo: sicut ostensum est (videlicèt, ut notatur à margine, *art. preced.* ubi agitur de pœnitentia etiam ad baptismum prærequisita) peccatum mortale non potest remitti sinè vera pœnitentiâ, ad quam pertinet deferere peccatum, in quantum est contra DEUM, quod quidem commune est omnibus peccatis mortalibus; ubi autem est eadem ratio, est idem effectus. Unde non potest esse vere pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim dupliceret illi peccatum, quia est contra DEUM supra omnia dilectum, quod requiritur ad rationem pœnitentiæ, sequeretur, quod de omnibus peccatis doleret.

Quæres nond. Quotuplex charitas seu amor DEI super omnia in actu pœnitentiæ intervenire potest?

R. Vel perfecta, vel imperfecta. Actus charitatis perfectæ & imperfectæ diversa habent principia, & diversos effectus. Diversitas principii colligitur ex S. Thoma in 2. Sentent. dist. 3. ad 1. Actus charitatis potest dici dupliciter: vel qui est ex charitate, intellige habitu charitatis, & hoc non est nisi in habente charitatem; vel qui non est à charitate, & hic actus non est meritorius, vel generativus, sed sicut præparatorius: & sic actus charitatis ante charitatem habitam haberi potest, sicut facere iusta est ante habitum iustitiæ.

Et dist. 28. q. 1. a. 3. Sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quod sunt à virtute, vel secundum quod antecedunt virtutem, ita etiam est de charitate; potest enim aliquis etiam charitatem non habens, intellige: quoad habitum, diligere proximum & DEUM: & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere, & non solum secundum quod à charitate procedit, *add.* Diversos habent effectus actus charitatis perfectæ & imperfectæ. Contritio ex charitate perfecta justificat extra Sacramentum. Ita Trident. Sess. 14. cap. 4. docet contritionem charitate perfectam, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, DEO reconciliare.

Damnata quoque sunt sequentes propositiones Bajanæ: 31ma: Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro conscientia bona & fide non ficta tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum. 32ta: Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. 33ta: Catechumenus iuste, rectè, & sanctè vivit, & mandata DEI observat, & legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur. 70ma: Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aterna damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aterna damnationis. 71ma: Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen

crimen extra earum martyrii, sine actuali Sacramenti susceptione.

Charitas imperfecta non extra, sed in & cum Sacramento justificat: ita enim Catechismus Romanus *p. 2. cap. 5. q. 32.* Quoniam pauci ad hunc gradum (contritionis charitate perfectæ) perveniunt, necesse fuit, ut Clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit; cum claves regni cœlestis Ecclesie tradidit. Etenim ex fidei catholica doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi hujusmodi dolore non afficiatur, ut ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum tamen peccata Sacerdoti ritè confessus fuerit, vi clavium scelerata omnia remitti ac condonari, & Ecclesie clavibus aditum in cœlum aperiri.

Quæres 1^o modò. In quo formaliter consistat distinctio illa charitatis perfectæ extra Sacramentum justificantis à charitate imperfecta in Sacramento tantum justificante?

1^o. Id explicatu esse difficile. Præ reliquis tamen placet explicatio Cardinalis Bellarmini *Lib. 6. de grat. & liber. arbitr. cap. 7.* Dilectio DEI sive ut Authoris bonorum naturalium sive supernaturalium alia est perfecta, alia imperfecta: idque tribus modis.

1^{mo}. Alia est perfecta, quæ est dilectio DEI super omnia, quæ videlicet DEUM rebus omnibus anteponit: alia

imperfecta, quæ afficitur quidem ad DEUM, sed nondum illum rebus cæteris præfert. Talis imperfecta charitas non est charitas Theologica, de cujus perfectione essentiali est, quod DEUM super omnia diligat, ut constat ex *8. Th. 2. 2. q. 184. a. 3. ad 3.* Nec sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ, cum non excludat voluntatem peccandi, utpote cum affectu ad peccatum compossibilis. Quis enim ex maximis peccatoribus, DEO proposito, non habet aliquem affectum ad eum?

2^{do}. Alia est perfecta, quæ DEUM non solum rebus omnibus præfert, sed majore ardore & vehementiâ ad illum afficitur, quam in ullam rem creatam. Quæ dici solet dilectio super omnia tam appetitivè, quam intensivè. Alia imperfecta; quoniam æstimat quidem super omnia DEUM, & mallet cætera omnia potius quàm illum perdere, tamen non ita vehementer, quod attinet ad intensionem, afficitur ad DEUM ac in res creatas. Hanc perfectionem Catechismus Romanus *p. 2. cap. 5. q. 32.* Ad contritionem extra Sacramentum justificantem requirere videtur: ita enim ait: ut enim hoc concedamus contritione (videlicet extra Sacramentum) peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit. Sequuntur Theologi, qui docent in majori peccatore majorem & magis intensam debere esse charitatem & contritionem, ut extra Sacramentum justificetur.

312. Alia est perfecta, quoniam non modò DEUM super omnia diligit unico actu voluntatis; dum eum cogitat summum & infinitum bonum esse; sed etiam perseverat in dilectione usque ad impletionem omnium mandatorum, quæ dicitur dilectio DEI super omnia, quoad affectum & effectum. Alia est imperfecta; quoniam afficitur quidem in DEUM super omnia, dum eum cogitat summum esse bonum, & nulla occurrit tentationis occasio; at tamen occurrente aliquo objecto alliciente facilè deficit, & extinguitur. Hæc perfectio charitatis pulchrè describitur in *can. qui vult. 16. dist. 2. de Pœnit.* Ubi S. Augustinus dicit: Si quis habet voluntatem sustinendi omnia pro Christo, & tamen si immineat ei periculum, in rei veritate non sustineret, reverà iste habet charitatem, licet modicam, quæ postea augetur, quando cum effectu paratus est omnia sustinere. Verba Canonis sunt: qui vult facere DEI mandata (quodam motu bono scilicet non effectiois, ut inquit Gloss.) & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, id est magnâ charitate fecerunt, de qua charitate ipse Dominus ait: Majorem hæc charitatem nemo habet &c. Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit: timor enim non est in charitate, sicut ait Joannes Evangelista in Epistola sua, sed perfecta charitas fo-

ras mittit timorem: Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat: Domine animam meam pro te ponam. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed nunquid mox ut nascitur, jam profus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur, cum fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita, roboratur, cum fuerit roborata, perficitur, cum ad perfectum venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Hanc Doctrinam S. Augustini in *cit. can.* Relatam applicat Doctor Angelicus ad pœnitentiam. 1. 2. q. 113. a. 10. in O, „Est iste communis & consuetus cursus „justificationis, ut DEO movente interius animam hanc convertatur ad DEUM, primò quidem conversione imperfectâ, ut postmodum ad perfectam deveniat, quia charitas meretur auferi, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit. *Tr. 5. in Epist. Joan.* „loco videlicet in *Can. cit.* Quandoque „verò DEUS tam vehementer animam „mover, ut statim quandam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione S. Pauli.

Quæres undecimò. An habens charitatem imperfectam, Sacramentum baptismi vel pœnitentiæ suscipere nequeat, æternum pereat, ac ita is qui diligit DEUM super omnia damnetur?

«. Theologi, qui docent attritionem ex charitate imperfecta in Sacramento, & non extra illud justificare, admittunt tamen, quod in casu necessitatis, quo Sacramentum suscipi nequit, attritio ex chari-

charitate DEI super omnia ad justificationem sufficiat, DEO perfectionis defectum supplente. Probant id primò ex *Can. quem pœnitet. 88. Dist. 1. de Pœnit.* ubi ita *s. Augustinus*: „ Sæpe contingit, „ quod pœnitens non potest confiteri „ coram Sacerdote, quem desideranti „ nec locus nec tempus offert, & si ille, „ cui confitebitur, potestatem solvendi „ non habet, fit tamen dignus venia ex „ Sacerdotis desiderio: mundati enim „ sunt leprosi, dum irent ostendere ora „ Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet Dominum ad cor „ respicere, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes pervenire. Probat *2dò ex cap. Apostolicam, de Presbyt. non baptizato.* ubi *Innocent. III.* „ Presbyterum, quem sine unda baptismatis „ extremum diem clausisse significasti, „ quia in S. Matris Ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseveravit, „ ab originali peccato solutum, & cœlestis Patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter. „ Probat assertum autoritate *Ss. Augustini & Ambrosii.* *Augustinus lib. 8. de civit. DEI.* dicit: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. *S. Ambrosius lib. de obitu Valentiani* idem asserit.

Quæres *duodecimò.* Quid tandem in hac controversia practicè tenendum?

R. 1mò. Id constat ex prop. primâ damnata ab *Innoc. XI.* *Non esse licitum in Sacramentis consciendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Opinionem autem, quæ docet,

R. D. Schnorrenberg Instit. J. Can.

quod ad valorem Sacramenti pœnitentiæ attritio ex amore DEI super omnia imperfecto requiratur, tutiorem esse, nullus dubitabit.

R. 2dò. Sententia quæ asserit ad dolorem Sacramentalem sufficere quodcumque motivum supernaturale absque ullo actu charitatis Theologicæ, quamvis sit probabilis, & à pluribus adhuc hodie teneatur, attamen videtur dici non posse, quod certa sit, alias sententia opposita actum charitatis requirens, foret improbabilis, & certò moraliter falsa, cum tamen *Alexand. VII. Ann. 1667. 5. Maji* in speciali decreto super hac controversia dato sub pœna excommunicationis prohibeat, ne quis alicujus Theologicæ censuræ alteriusvè injuriæ aut contumeliæ notâ taxare audeat, sive sententiam negantem necessitatem alicujus dilectionis DEI in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ, inquit Pontifex, hodie inter Scholasticos communior videtur, sive sententiam asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec à Sede Apostolica fuerit aliquid hac in re definitum.

R. 3tò. In praxi igitur non videtur recedendum à Doctrina Cleri Gallicani in Generali conventu Anno 1700. subscribentibus omnibus Episcopis & Archi-Episcopis Galliæ definita, & Curatoribus animarum hunc in modum proposita: „ De dilectione DEI sicut ad „ Sacramentum baptismi in adultis, ita „ ad Sacramentum pœnitentiæ, quæ est „ laboriosus baptismus, requisita, ne „ necessariam Doctrinam omittamus, „ hæc duo imprimis ex *S. Synodo Tridentina*

R r

„ dentina

„dentina monenda & docenda duximus;
 „*imum*, ne quis putet in utroque Sa-
 „cramento requiri præviam contritio-
 „nem eam, quæ sit charitate perfecta,
 „& quæ cum voto Sacramenti, ante-
 „quam actu suscipiatur, hominem Deo
 „reconciliet: alterum, ne quis putet
 „in utroque Sacramento securum se ef-
 „se, si præter Fidei & Spei actus non
 „incipiat diligere DEUM tanquam om-
 „nis justitiæ fontem: neque verò sa-
 „tis adimpleri potest utriusque Sacramen-
 „to necessarium vitæ novæ inchoandæ
 „ac servandæ divina mandata proposi-
 „tum, si pœnitens primi & maximi
 „mandati, quo DEUS toto corde dili-

„gitur, nullam curam gerat, nec sit
 „saltem animo sic præparato, ut ad il-
 „lud exequendum divinâ opitulante
 „gratiâ sese excitet, & provocet. Pla-
 „cet etiam caveri à Sacramenti pœniten-
 „tiæ, ministris, ne in hoc Sacramento
 „aliisque conferendis sequantur opinio-
 „nem probabilem de valore Sacramen-
 „ti, relicta tutiore, neve pœnitentes
 „ipforum fidei animam suam commit-
 „tentes admonere cessent, ut in pœni-
 „tendo inchoatâ saltem dilectionis DEI
 „ineant viam, quæ sola secura sit, gra-
 „viter peccaturi in hoc salutis disci-
 „mine, vel eo solo, quod certis in-
 „certa præponant.

S. Quintus.

D E

Satisfactio.

Quæres primò. Quid Satisfactio?

R. Pœnitentia hominis Christiani post lapsum continet satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto remittitur, sed pro pœna temporali. *Trident. Sess. 6. cap. 14. cujus dat rationem Sess. 14. cap. 8.* Quia divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum ignoranter deliquerunt, aliter verò, qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs S. do-

no scienter templum DEI violare, & Spiritum S. contristare non formidaverunt. Divinam etiam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injuriû & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Quæres secundò. Quotuplex Satisfactio?

R. Publica & privata. Publica ab Episcopo publicè peccantibus in foro externo ad satisfaciendum publico imponitur. De quo *in cap. manifesta. 1. de Pœnit. & remiss.* Manifesta peccata non sunt

sunt occultâ correctione purganda ; nam qui publicè peccant , etiam publicè puniendi sunt , ut tollatur Scandalum , & alii territi à similibus arceantur. Et *Tridentinum* : Apostolus monet publicè pœnitentes palam esse corripiendos ; quando igitur ab aliquo publicè & in conspectu multorum crimen commissum fuit , unde alios Scandalo offensus commotòsque fuisse non sit dubitandum , huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet , ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit , suæ emendationis testimonio ad rectam revocent vitam. Episcopus tamen publicæ pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare , quando ita magis judicaverit expedire. *2do*. Privata satisfactio fit soli DEO vel per pœnas à DEO inflictas patienter toleratas , vel per opera pœnalia sponte suscepta , aut à Confessario injuncta : ut enim ait *Trident. Sess. 14. cap. 9.* Tanta est divinæ munificentiae largitas , ut non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis , sed etiam : quod maximum amoris argumentum est , temporalibus flagellis à DEO inflictis , & à nobis patienter toleratis , apud DEUM Patrem per JESUM Christum satisfacere valeamus.

Quæres *tertio*. Quæ satisfactio in Sacramento pœnitentiæ injungenda ?

1. Illam graphicè describit *Tridentinum Sess. 14. cap. 8.* Debent Sacerdotes Domini , quantum Spiritus & prudentia suggererit , pro qualitate criminum ,

& pœnitentium facultate salutare & convenientes satisfactiones injungere : ne , si forte peccatis conniveant , & indulgentiùs cum pœnitentibus agant , levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo , alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis , ut satisfactio , quam imponunt , non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum , sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem ; procul dubio enim magnopere à peccato revocant , & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ , cautioreque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis , & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia DEI unquam existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam , quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc , quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis , Christo JESU , qui pro peccatis nostris satisfacit , ex quo omnis nostra sufficientia est , conformes efficimur , certissimam quoque inde arrham habentes : quod si compatimur , & conglorificabimur.

Quæres *quarto*. An sub mortali confessarius sit obligatus imponere pœnitentiam peccatis proportionatam ?

1. Affirmativè , & colligitur ex *Trident. loc. cit.* Ne si fortè peccatis conniveant , & indulgentiùs cum pœnitentibus agant , levissima quædam opera

pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Quæres quintò. An eadem pro iisdem peccatis omnibus injungenda pœnitentia?

R. Negativè. Ne adinstar imperiti medici uno collyrio omnium oculos velit curare. *Can. necesse. 3. Dist. 29.* Sed pœna non tam secundùm quantitatem excessûs, quàm pœnitentis contritionem per discreti Sacerdotis arbitrium est moderanda, pensatâ qualitate personarum, super fornicatione, adulterio, homicidio, perjurio, & aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus, competens pœnitentia delinquenti est imponenda, prout ejus saluti Sacerdos viderit expedire. *Cap. DEUS, qui. 8. de Pœnit. & Remiss. Can. mensuram. 86. Dist. 1. de Pœnitent.*

Quæres sextò. Quæ severitas antiquorum canonum in pœnitentiis imponendis?

R. Pro uno peccato mortali canones antiqui pœnitentiam septem annorum injungebant, constat ex *Can. hoc ipsum. 11. caus. 33. q. 2.* ubi id probatur exemplo Mariæ Sororis Aaronis, quæ propter murmurationem percussa est leprâ, à qua non est mundata, nisi post septem dierum pœnitentiam extra castra factam: & exemplo Regis Davidis, qui propter adulterium & homicidium pro pœnitentia jejunavit septem diebus. Rationem hanc dat *Gloss.* ut sicut propter peccatum septiformis Spiritûs gratiam amisit, ita per pœnitentiam septennem eam recuperet. In *Can. Presbyter. 5. dist. 22.*

Sacerdoti propter fornicationem gravissima pœnitentia decem continuis annis peragenda imponitur.

Quæres septimò. Cur rigor ille canonum non amplius servatur?

R. Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtio illius non patitur in omnibus manere censuram. *Can. fraternitatis. 7. dist. 34.*

Quæres octavò. An Confessarius in rigore pœnitentiarum excedere possit?

R. Affirmativè. S. Chrysostomus in *Can. alligant. 12. caus. 26. q. 7.* rigorismum hunc ita exagitat. Alligant onera gravia & importabilia, Tales sunt etiam nunc Sacerdotes, qui omnem justitiam populo mandant, & ipsi nec modicè servant, videlicet, non ut facientes sint justi, sed ut dicentes appareant justi. Tales sunt, & qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt: qui dicunt, & non faciunt, & sic dum pœna presentis pœnitentiæ fugitur, contemnitur peccati pœna futura. Sicut enim si fascem super humeros adolescentis, quem non potest bajulare, posueris, necesse habet, ut aut fascem rejiciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini, cui grave pondus pœnitentiæ imponis, necesse est, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat, aut suscipiens dum ferre non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde, etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonnè melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si DEUS benignus

nus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? Vis apparere Sanctus circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.

Quæres nono. An illi, qui in hac vita sufficientem pœnitentiam non ogerunt, puniantur in altera vita?

R. Cum S. August. in *Can. nullus. 6. dist. 7. de Pœnit.* Affirmativè. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis licet æternus non sit, miro tamen modo est gravis: excellit enim omnem pœnam, quam unquam passus est aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres tormenta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerunt supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat talem pœnam tolerare.

Quæres decimo. An per indulgentias pœna peccatorum remitti possit?

R. Affirmativè. Constat ex *Extrav. 2. de Pœnitent. & Remiss. inter commun.* Ubi indulgentiarum thesaurum ita explicat Clemens Papa VI. Christus Dominus infinitum thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit volens suis thesaurizare filiis pius Pater: ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, DEI amicitia participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cæli Clavigerum ejusque Successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum: & propriis & rationalibus causis, nunc pro totali, nunc

pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam generaliter quàm specialiter, prout cum DEO expedire cognoscerent, verè pœnitentibus & confessis misericorditer dispensandum. Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ DEI genetricis omniumque electorum, à primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tum ob infinita Christi merita, tam pro eo, quod quantò plures ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Quæres undecimo. Quæ condiciones requiruntur ad valorem indulgentiarum?

R. Cum *Gloss. in Extrav. 1. de Pœnit. & Remiss. verb. consistebuntur.* Ad hoc, ut indulgentiæ valeant, requiruntur quinque: Autoritas in concedente, idoneitas in recipiente, pietas in fine, utilitas in opere, & congruitas in tempore.

1mo. *Autoritas in concedente.* Imprimis in Summo Pontifice est plenitudo potestatis conferendi indulgentiam, *cap. cum ex eo. 14. de Pœnit. & Remiss.* Rationem dat *Gloss. in cit. extrav.* Sicut in corpore humano materiali est caput unum, in quo omnes sensus seu plenitudo sentiendi existit, sic in militante Ecclesia est unum caput, videlicet Romanus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis & autoritatis, quam Christus contulit, quando B. Petro dixit: *Quodcumque ligaveris in terris, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris, erit solutum.* Hæc

R 1 3 . . . autho-

authoritas deinde communicatur Archi-
Episcopis, limitatè tamen, qui habent
potestatem concedendi indulgentias in
tota sua Provincia non solùm tempore
visitationis, sed etiam extra illud, *cap.
nostro. 15. de Pœnitent. & Remiss.* Item
Episcopis, ut dicitur *in cit. cap. cum ex
eo. ibi*: Quia per indiscretas & super-
fluas indulgentias, quas quidam Eccle-
siarum Prælati facere non verentur, &
claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœ-
nitentialis satisfactio enervatur, potestas
concedendi indulgentias restringitur, ne
Episcopi in dedicatione Ecclesiæ ultra
annum, & in anniversario dedicationis
uti & in aliis casibus indulgentiam ul-
tra 40. dies dare possint. Confirmantur
hæc in *cap. indulgentia. 3. eod. tit. in 6.*
Indulgentiæ autem ab Episcopo datæ val-
ent pro solis subditis. *Cap. quod autem.
4. de Pœnitentiis & Remiss.* Sufficit verò,
quod Episcopus sit confirmatus, quam-
vis non consecratus, nec in sacris con-
stitutus; quia dare indulgentiam est
actus jurisdictionis & non Ordinis. De-
mum Prælati Episcopo inferiores nul-
lam habent potestatem concedendi in-
dulgentiam. *Cap. accedentibus. 12. de ex-
cess. Pralat.* Nisi per Privilegium, con-
suetudinem aut præscriptionem tale jus
obtinuerint.

2^{da}. Idoneitas in recipiente. Nam
thesaurus Ecclesiæ non applicatur primò
nisi ei, qui est membrum Ecclesiæ. *Can.
nihil. 33. caus. 11. q. 3. Can. Si quis à Ca-
tholica. 7. caus. 23. q. 4.* Secundò nisi ju-
sto: quia certum est, quod remanente
culpâ non remittatur pœna, cum secun-
dùm Augustinum non dimittat DEUS

dedecus culpæ sinè decore justitiæ: Si
autem manente culpâ remitteretur pœ-
na, esset dedecus culpæ cum decore
justitiæ. *Gloss. in cit. Extray.* Oportet igitur,
quod capax indulgentiæ sit pur-
gatus à culpa. Ideo communiter in li-
teris indulgentiarum exprimitur: *Verè
pœnitentibus & confesfis.*

3^{ta}. Nisi libero ab excommunicatio-
ne majore, per quam excommunicatus
à communibus Ecclesiæ bonis excludit-
ur. Demum vivis datur indulgentia per
modum absolutionis exercendo in illos
velut in subditos potestatem jurisdic-
tionis, defunctis per modum suffragii,
dum DEO exhibetur & offertur pro de-
functis quondam concivibus & membris
Ecclesiæ militantis satisfactio & quasi
pretii solutio cum precibus, ut DEUS
illam misericorditer acceptet, & pœnam
temporalem remittat.

3^{ta}. *Pietas in fine*, hoc est honor
DEI & exaltatio Fidei; in omni enim
concessione indulgentiarum attendi de-
bet, ut per talem dispensationem the-
sauri Ecclesiæ honoretur DEUS, & ex-
altetur Fides. *Gloss. in cit. Extray.*

4^{ta}. *Utilitas in opere*, hoc est quod
opus pro indulgentia obtinenda impo-
situm utile sit & ordinabile ad finem
prædictum scilicet ad honorem DEI &
fidei exaltationem. Circa quod avertit
cit. Gloss. quod in concessione indul-
gentiæ non attendatur quantitas, sed
genus operis: indulgentia enim prin-
cipaliter respicit gratiam, non meri-
tum, aliàs enim non diceretur indul-
gentia. Si enim quis offendisset Re-
gem, ita ut propter offensam hujus-
modi

modi secundum patriam legem manu vel pede truncari mereretur, ac ut liberaretur ab hac poena Principi duo vel tria millia florenorum offerret, talis liberatio remissio dici non mereretur, sed potius redemptio & quaedam commutatio: si autem condonaret poenam huiusmodi liberaliter, & ei pro poena vitanda leve quid imponeret, liberatio hæc remissio diceretur. Ergo indulgentiæ Ecclesiasticæ principaliter respiciunt gratiam, non meritum: meritum, inquam, non proprium, sed alienum, nempe meritum Christi, super quo fundantur, & ex quo sumuntur.

5to. *Congruitas in tempore*; videlicet exigitur, ut discretè pro exigentia loci, temporis & personarum concedantur: ideo *Trident. Sess. 25. in decreto de indulgentiis* agnoscens Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias à Christo divinitus concessam præcipit in his concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi, ne nimiam facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur, abusus verò, qui in his irrepsit, quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendari, pravos questus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusu causa proflixit, aboleri. Ad hunc finem idem *Trident. Sess. 21. cap. 9.* ordinavit, indulgentias aut alias speciales gratias deinceps per Ordinarios locorum esse publicandas, ex quo juxta declarationem S. Congregationis, quamvis Religiosi indulgentias olim à Pontificibus con-

cessas publicare potuerint, attamen illas post *Trident.* datas absque Ordinarii licentia publicare nequeunt.

Quæres *duodecimò.* Quæ diversitas indulgentiarum?

1o. *1mò.* Ex parte remissionis alia est totalis alia partialis, colligitur *ex cit. Extrav. 2. de Pœnit. & remiss.* ibi: *nunc pro totali, nunc pro partiali remissione.* Per partialem remittitur pars poenæ; & si remittatur poena, pro qua aliàs per poenitentiam 40. dierum juxta rigorem antiquorum canonum Satisfactio fieri debeat, vocatur quadràgena. Totalis est per quam omnis poena peccatis debita, dummodo subjectum sit dispositum, remittitur.

2do. Ex parte illorum, quibus indulgentia conceditur, in personalem, localem, & realem dividitur. Personalis per se & directè personis, ut confratribus v. g. illius fodalitatis &c. sine determinatione ad certum locum vel rem materiale conceditur. Localis est, quæ pro loco Sacro, visitantibus v. g. illam Ecclesiam datur. Realis, quæ certæ rei materiali est affixa, ut quæ datur habentibus tale numisma vel rosarium &c. Ex parte durationis alia est perpetua, alia temporalis: perpetua semper durat, usque dum revocetur, temporalis ad certum annorum numerum conceditur, eoque elapso expirat.

3to. Indulgentia totalis alia est in anno Jubilæo, alia per modum Jubilæi, alia tantum simpliciter plenaria. Annus Jubilæus ortum habet ab anno Jubilæi legis veteris: ut enim dicitur *in cit. Extrav. 2. de Pœnitent. & remiss.*
annus

annus quinquagesimus in lege Mosai-
ca, quam non venit Dominus solvere,
sed spiritualiter adimplere, jubilæus rem-
issionis & gaudii, sacæque dierum
numerus, quo lege fit remissio, cen-
sebatur, quia in illo, præterquam quòd
ab agricultura cessaretur, omnia debita
remittebantur, servi manumittebantur,
possessions antiquæ Dominis antiquis
testituebantur, unde & annus remissio-
nis appellabatur. Quia autem erat figu-
ra plenissimæ concessionis aliquando
per Christum consequendæ Romani
Pontifices in lege nova annum Jubi-
læum instituerunt, & imprimis Boni-
facius VIII. in *extrav. Antiquorum. 1. de
Pœnit. & remiss.* quolibet centesimo an-
no Romam ad Basilicas Ss. Apostolo-
rum Petri & Pauli reverenter acceden-
tibus verè pœnitentibus & confessis
non solum plenam & largiorem, imò
plenissimam omnium suorum peccato-
rum sub his conditionibus concessit,
indulgentiam ut qui voluerint hujus-
modi indulgentiæ fieri participes, si
fuerint Romani ad minus XXX. die-
bus continuis, seu interpolatis, & sal-
tem semel in die, si verò peregrini fue-
rint & forenses, simili modo diebus
XV. ad easdem basilicas accedant. Ad-
dit Pontifex: Unusquisque tamen plus
merebitur, & indulgentiam efficacius
consequetur, qui basilicas ipsas amplius
& devotiùs frequentabit.

Deinde Clemens VI. in *Extrav. uni-
genitus. 2. de Pœnit. & remiss.* quia quin-
quagenarius numerus in testamentis,
veteri quidem ex legis datione, novo
ex visibili Spiritûs S. in discipulos mis-

sione, per quem datur peccatorum re-
missio singulariter honoratur: Præterea
cum pauci multorum respectu propter
vitæ hominum brevitatem valeant ad
annum centesimum pervenire, annum
centesimum ad annum quinquagesi-
mum reduxit, concedens plenissimam
peccatorum veniam de quinquaginta
in quinquaginta annos visitantibus B. B.
Petri & Pauli & Lateranensem Eccle-
sias, adjiciendo, ut ii etiam, qui pro
hac indulgentia consequenda accedunt,
si post iter arreptum impediti legitime,
quominus ad urbem illo anno valeant
pervenire, aut in via vel dierum præ-
taxato numero non completo discesse-
rint, verè pœnitentes & confessi ean-
dem indulgentiam consequantur.

Paulus II. ut refertur in *Extrav. quem-
admodum. 4. eod. tit.* annum Jubilæum
ad brevius tempus, videlicet ad annum
vigesimalium quintum reduxit, & quoli-
bet 25to anno basilicas B. B. Petri &
Pauli, Lateranensem quoque & S. MA-
RIÆ majoris visitantibus omnes & sin-
gulas indulgentias, & peccatorum re-
missiones concessit, quas Prædecessores
anno Jubilæo concesserunt.

Demum Sixtus IV. in *cit. extrav.
quemadmodum.* Idem confirmavit, si-
mul declarando: Ne propter alias in-
dulgentias hoc sanctum opus ac remis-
sionis & gratiæ annus Jubilæus inter-
mittatur, omnes & singulas plenarias,
aut etiam adinstar Jubilæi indulgentias,
ac etiam commutandi vota, aut super
eis, & malè ablati incertis, aut per
usurariam pravitatem, aut alium illicitum
modum extortis dispensandi &
com-

componendi, aut illa sub certo modo & forma remittendi, & deputandi confessarios cum potestate absolvendi etiam à Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones, indulta quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, piis locis, Universitatibus, Fraternitatibus quibuslibet tam in perpetuum, quam ad certum tempus in vita seu mortis articulo quovis modo vel causâ concessa durante anno Jubilæi esse suspensa: quæ tamen elapso anno

Jubilæi absque nova concessione vim suam recuperant. Excipiuntur indulgentiæ pro defunctis, quæ temporis anni Jubilæi in suo vigore manent. Indulgentia instar Jubilæi est, quando præter plenam peccatorum remissionem certa conceduntur privilegia, ut confitendi cuique confessario approbato, absolvendi à quocunque casu reservato, commutandi vota. Si hæc privilegia non adsint, est simpliciter indulgentia plenaria.

§. Sextus.

D E

Ministro Pœnitentiæ.

Quæres primò. Quis Minister Sacramenti Pœnitentiæ.

Re. Cum Concil. Florentino in decreto Eugenii: Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione Superioris, quod confirmat Trident. Sess. 14. cap. 7. declarans nullius momenti absolutionem eam esse; quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam vel delegatam non habet jurisdictionem.

Cui superaddit Sess. 23. cap. 15. Nulum etiam regularem posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem obtineat: pri-

R. D. Schnorrenberg Instir. J. Can.

vilegiis & consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstantibus. Ex his colligitur in Ministro pœnitentiæ tria ad valorem absolutionis requiri: imò. Ordo Sacerdotalis, 2dò. Approbatio Episcopi, 3tò. Jurisdictio in pœnitentem. Patet quoque jurisdictionem distingui ab approbatione, cum hæc sit nudum Episcopi Judicium de idoneitate: illa autem sit expedita in actu secundo Jus dicendi facultas.

Quæres secundò. An solus Sacerdos Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

Re. Affirmativè. Quia Jus ligandi & solvendi solis permissum est Sacerdotibus. Can. Verbum. 51. dist. 1. de Pœnitent. Mediator enim DEI & hominum homo Christus JESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ Satisfactionem

S s darent,

darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. *Can. multiplex. 49. dist. 1. de Pœnit.* Quod convenit soli Sacerdoti, qui ritè fuerit ordinatus juxta claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis eorumque Successoribus. *Cap. 1. de Sum. Trinit. §. una.* Ideo per *Trident. Sess. 14. cap. 6. & Can. 10.* damnantur, qui ad alios quosvis homines præter Episcopos & Sacerdotes clavium ministerium pertiniosè extendunt.

Nec objicias *cap. 2. de furtis*, ubi fur communionem non privatur, si Presbytero vel Diacono fuerit confessus. Et quod in *Can. quem pœnit. 88. dist. 1. de Pœnit.* dicitur, & simul repetitur in *Can. 1. dist. 6. de Pœnit.* Tanta est vis confessionis, ut si desit Sacerdos, confiteatur proximo; nam quamvis ad humiliatorem quis in necessitate confiteri possit Laico vel non Presbytero, attamen à non Presbytero nullus Sacramentaliter absolvi potest. Ut enim in *cit. loc.* subjungitur: Et si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habeat, fit tamen dignus veniâ ex Sacerdotis desiderio, qui Socio confitetur criminis turpitudinem. Potest igitur quis, ut ait *Gloss. in cap. Pastoralis. 11. de officio Ordinar. §. præterea. verb. articulo mortis.* confiteri Laico in necessitate, sed Laicus non potest ipsum absolvere vel ligare, quia non habet claves Ecclesiæ. *cap. 1. de Sum. Trinitate.*

Quæres *tertiò.* Qualiter in ministro Pœnitentiæ necessaria approbatio?

R. Nulli potest committi jurisdictio

ad absolvendum aliquem sæcularem in foro pœnitentiæ, nisi habeat vel Parochiæ beneficium, vel approbationem Episcopi, quæ est hujus authenticum de idoneitate ministri testimonium ad Sacramentale munus obeundum, constat ex *cit. Trident. Sess. 23. cap. 15.* Circa quam approbationem singulariter notanda sunt sequentia:

1mò. Varia Ordines Regularium, maxime Mendicantes ob specialia merita & animarum fructum, quem in Ecclesia fecerunt, à Summis Pontificibus obtinuerunt Privilegia circa administrationem Sacramentorum, auditionem confessionum, sepulturam fidelium &c. Occasione horum Privilegiorum inter Episcopos & Rectores Ecclesiarum Parochialium ex una parte, & Ordines mendicantes ex altera, pacis æmulo satore zizaniorum procurante graves & periculosa discordiæ sunt suscitatae. Ad has sopiendas Bonifacius VIII. in *Extrav. super Cathedram. 2. de Sepulturis.* Circa auditionem confessionum sequentia ordinavit. *1mò.* Ut in singulis Civitatibus & Diocæsisibus, in quibus loca Fratrum Prædicatorum & Minorum consistere dignoscuntur, vel in Civitatibus & Diocæsisibus locis ipsis vicinis, in quibus loca hujusmodi non habentur, superiores prædictorum Regularium ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferant, per se vel per Fratres, quos ad hoc idoneos putaverint, humiliter petitori, ut Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum Civitatibus & Diocæsisibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium liberè

liberè audire valeant, & hujusmodi confitentibus, prout secundùm DEUM expedit cognoverint, pœnitentias imponere salutare, atque eisdem absolutio- nis beneficium impendere de licentia, gratia & beneplacito eorundem. De- inde ut superiores eligere studeant per- sonas sufficientes, idoneas, vitâ pro- batas, discretas, modestas, atque per- itas ad tam sublime ministerium, & offi- cium exequendum: quas sic electas ab ipsis præsentent, vel faciant præsentari Prælati, ut de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Civitatibus & Diœce- sibus confessiones audiant, extra civi- tates & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ, confessiones nullatenus audita- turæ. Numerus autem personarum as- sumendarum ad hujusmodi officium ex- ercendum esse debeat, prout Universi- tas Cleri & populi, ac multitudo & pau- citas exigit eorundem, 3710. Demum, si Prælati, id est Episcopi, quenquam ex dictis Fratribus præsentatis ad hoc offi- cium nollent habere, vel non ducerent admittendum: eo amoto vel subtracto alius iisdem præsentandus deberet sub- rogari. Quod si autem Episcopi præ- fati Fratribus ad confessiones audien- das electis hujusmodi licentiam exhibere recusarent, Pontifex ex tunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium liberè & licitè audire possint, concedit de plenitudine Apostolicæ potestatis.

Cum per hanc moderationem æmula- tiones inter Clerum Regularem & sæcu- larem nondum sublata essent, Benedi- ctus XI. Bonifacium secutus magis pro- pendens in favorem Regularem in Ex-

trav. Inter cunctas. 1. de Privileg. Circa Sacramentum Pœnitentiæ sequentia or- dinavit. Imprimis, ut electi Fratres à Superioribus suis ad audiendas confes- siones liberè autoritate Apostolicâ, abs- que licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum vel non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant eis peccata sua confiteri volentes: Nec con- fessi ipsis Fratribus peccata illa, de qui- bus confessi sunt eis & absoluti pœni- tentes, de illis Sacerdotibus propriis iterum confiteri teneantur: non obsta- te constitutione Generalis Concilii in cap. omnis utriusque sexûs: sed Sacerdo- tes ipsis taliter confessis & absolutis ad- stricti sint ministrare Eucharistiæ & ex- tremæ unctionis Sacramenta. Ut tamen Diœcesanis honor debitus servetur, præ- cipit Pontifex, ut superiores vel per se vel per alios verbo vel scripto illis sig- nificent, se Fratres ad hujusmodi con- fessionum audiendarum officium elegisse, & non nominando, aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum ex- primendo, petant humiliter à Diœcesanis eisdem, quod electi Fratres de eorum beneplacito & licentia dictum pos- sint in eorum Civitatibus & Diœcesibus intra eis determinatos fines officium ex- ercere. Quod si Episcopi denegent, aut intra triduum non concedant, ex tunc eidem Fratres nihilominus autoritate Apostolica hujusmodi officium exequan- tur.

Hæc dispositio Benedicti XI. Zelum Pastorum sæcularium contra Religiosos non restrinxit sed magis exacuit. Ideo

Clemens V. in Conci. Viennensi per *Clement. Dudum. 2. de Sepulturis* constitutionem Benedicti ad terminos constitutionis Bonifacianæ reduxit. Hæc omnia cessant post Trident. ut imprimis declaravit Pius V. apud Paxjord. *lib. 3. tit. 4. n. 119.* Declaramus decretum Concilii Trident. de approbatione Regularium pro audiendis confessionibus sæcularium ab Episcopo facienda observari debere in omnibus Regularibus quorumcunque Ordinum etiam Mendicantium etiam sub regulari disciplina viventibus. *2. d. Urbanus VIII. in speciali constitutione, quæ incipit: Cum sicut accepimus.* Anno 1625. die 12. Septembr. idem declaravit. *3. tid. Alexander VII. 1659.* damnavit hanc propositionem: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares ad obrinendas approbationes ab Episcopis, ut sæcularium confessiones audire possint: neque de illius Concilii autoritate Privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, praterquam in decisionibus fidei, neque Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.* Ann. 1665. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit præcepto annua confessionis, qui confiteatur Regulari Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobato.*

2. d. Hæc approbatio dari debet ab Episcopo jam confirmato & habente subditos, vel Vicario Generali, qui personam Episcopi sustinet, ejusque vices gerit, vel à Capitulo sede vacante, quod succedit in jurisdictionem Episcopi. cap. cum olim. 14. de Majorit. & obedientia. Nullus Episcopo inferior potest se ingerere in approbationem Sacerdotum sa-

crae pœnitentiæ ministrorum. S. Congregatio apud Jordan. *loc. cit.* Valet tamen approbatio confessariorum etiam pro sæcularibus tam subditis, quam confluentibus facta ab Abbate proprium & separatum Territorium ac Jurisdictionem quasi Episcopalem habente. Ita congregatio Episcoporum apud Baptistam Pittoni *tract. 1. n. 26.*

3. tid. Approbatio ab Ordinario illius Diœcesis fieri dabet, in qua instituitur confessio; ita ut Episcopus sit Ordinarius confessarii vel stabiliter, si hic in ea Diœcesi stabile habeat domicilium, vel transeunter, si tantum ad breve tempus ibidem moretur. Ita declaravit S. Congregatio apud *Jord. cit.* Approbatus ab alio Episcopo quam ab Episcopo Valentino in Diœcesi valentina non censetur approbatus. Item apud Pittoni. *n. 105.* Confessarii extraordinarii ab Episcopo approbati, sive sint Regulares sive Sæculares, nullo pacto possunt confessiones audire extra Diœcesin Episcopi approbantis, quamvis confitentes eidem Episcopo sint subjecti. Item *n. 152.* Confessarii quamvis Romæ approbati etiam Regulares non possunt audire confessiones extra territorium approbantis. Ex quo sequitur illud, quod declaravit Clemens X. in constitutione, quæ incipit: *Superna Patrisfamilias.* Regulares ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbati, non possunt eas in alia Diœcesi absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi ejus Episcopi sint, à quo ipsi Religiosi approbati fuerunt. Damna est ab Alexand.

mand. VII. hæc propositio : *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur approbati in aliis, nec nova indigent Episcoporum approbatione.* Habent quidem Patres Societat. JESU Privilegium Gregorii XIII. ut refertur in *Compendio Privilegiorum Verb. confessarius. §. 2.* Vi cujus confessarii ab aliquo Ordinario semel approbati, & à Superioribus suis ad hujusmodi munus semel deputati, quandocumque sive mari sive terrâ iter faciunt, possunt quorumcumque Christi fidelium confessiones audire; attamen cum expressâ limitatione; dummodo id non faciant in oppidis vel locis, in quibus Ordinarii existunt, nisi eorum licentiâ desuper obtentâ. Et Innocentius X. in causa Episcopi populi Angelorum in Indiis & Societat. JESU declaravit, Religiosos Societat. JESU non posse in Civitate & Diœcesi Angopolitana personarum sæcularium confessiones excipere sine approbatione Episcopi Diœcesani. Et S. Congregatio in eadem causa congregata definivit, Regularem Societat. JESU in una Diœcesi ab Episcopo approbatum ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sine Episcopi Diœcesani approbatione.

4^{to}. Habens beneficium Curatum non solum suorum subditorum confessiones excipere potest, ubicunque illi inveniuntur, de quo quæstione sequenti, sed etiam eo ipso est approbatus, ut eidem Jurisdictio alios absolvendi committi possit, secundum has tamen limitationes.

1^{ma}. Parochus approbatus per concursum censetur idoneus ad audiendas confessiones etiam extra suam Parochiam, sed in ea tantum civitate vel loco, ubi sita est Parochialis Ecclesia, non autem passim per Diœcesin. Congregatio Episcoporum apud Pittoni. *tract. 1. n. 36.*

2^{da}. Parochus unius Diœcesis non potest audire confessiones in alia Diœcesi sine licentia Episcopi Diœcesani. Congregatio apud Pittoni. *n. 122.*

3^{ta}. Parochus non est amplius approbatus, postquam beneficium Parochiale dimisit, nisi sit approbatus per examen.

5^{to}. Qui confessarium eligendi Privilegium habent, juxta *cap. fin. de Pœnit. & Remiss.* de quo quæst. seq. non alium, quam approbatum in illa Diœcesi, in qua confitentur, eligere possunt. Prima pars constat ex propositione damnata ab Alexand. VII. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Secunda pars constat ex declarationibus sequentibus: Episcopus extra suam Diœcesin existens non potest sibi in confessarium eligere Sacerdotem non subditum, & à proprio Ordinario non approbatum declaravit Gregor. XIII. apud Pittoni. *tract. 1. n. 30.* Episcopus extra suam Diœcesin existens confiteri nequit, etiam Regulari à loci sui Ordinario non approbato, *Congregatio Episcoporum apud Pitton. num. 104.*

6^{to}. Ad audiendas confessiones virorum Regularium non requiritur approbatio Episcopi; quia Tridentinum

epprobationem pro excipiendis confessionibus sæcularium solum requirit, cui addit Clemens X. in constitutione, *superna Patrisfamilias*. In Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularum instituta vivitur, possunt tam Prælati Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum vel Collegiorum audire confessiones eorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia & continui commensales: non tamen illorum, qui tantum ipsis deseruiunt.

7^{mo}. Confessor sive Regularis sive sæcularis, quomodolibet exemptus, tam Ordinarius quàm extraordinarius ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valent; nisi prius ab Episcopo Diœcesano idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis concedenda, obtineant, Gregor. XV. in constitutione; *inscrutabili*. Quod magis declaravit Clemens X. in constitutione: *Superna Patrisfamilias*. Religiosus generaliter approbatus ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones excipiendas non censetur approbatus ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum: sed eget quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Item approbatus pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii non potest audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Item confessor extra-ordinarius semel deputatus atque approbatus ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, non potest expletâ deputatione in vim approbationis hujus-

modi illarum confessiones audire: sed toties est approbatus ab Episcopo, quoties casus contigerit. Hæc cum tanto rigore in nostris partibus non esse recepta constat ex praxi quotidiana.

8^{vo}. Episcopus tam sæcularium quàm Regularium approbationes certis limitibus circumscribere, & ad certa loca, personas, & tempora restringere potest; constat ex propositione ab Alexand. VII. damnata: *Non possunt Episcopi limitare seu restringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.*

9^{no}. Episcopus singulos Sacerdotes simpliciter & absolutè à se approbatos ab audiendis confessionibus emergente novâ causâ ad confessiones pertinente suspendere, ac etiam singulos Confessarios à suo Vicario Generali aut ab Antecessore approbatos ad novum examen vocare potest. Clemens X. in cit. constitut. *Superna Patrisfamilias*.

10^{mo}. Regulares, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis eorumque Examinatoribus reperi & probati fuerint, generaliter & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, locorum, aut generis personarum sunt admittendi in Diœcesi propria: in cæteris verò, qui non adeo idonei inveniuntur (si petierint se admitti) arbitrio Ordinarii relinquuntur ipsos cum limitata facultate admittendi. *Clemens cit.*

11^{mo}. Juxta decretum Innocentii XI. circa communionem quotidianam Anno 1679. editum, non est permittendum, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut

Ordi-

Ordinario. Si confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii secus egerint: sciant DEO ter Opt. Max. se reddituros esse rationem; neque defuturam Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contra facientes etiam Regulares, etiam Societatis JESU, facultate ipsis Episcopis & Ordinariis per hoc Decretum à Sede Apostolica specialiter attributâ.

Quæres quartò. Qualis requiritur in Confessario Jurisdictio?

1^o. 1^{mo}. Materia & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantum feratur. *Trident. Sess. 14. cap. 7.* Sacramentum autem pœnitentiæ administratur per modum iudicii. Hinc in Iudice fori pœnitentialis jurisdictio sive potestas in pœnitentem tanquam subditum requiritur; cum à non suo Iudice nullus ligari & absolvi valeat. *cap. quod autem. 4. de Pœnit. & Remiss. cap. etsi Clerici. 4. de Judiciis.*

2^{do}. Jurisdictio fori pœnitentialis duplex est: Ordinaria & delegata. Ut colligitur ex *cap. Omnis utriusque sexus. 12. de Pœnit. & Remiss.* Ubi præcipitur, ut confessio fiat proprio Sacerdote: qualis est respectu omnium fidelium Papa, respectu Diœcesanorum Episcopus, respectu parochianorum Parochus. Si quis autem alieno Sacerdote iusta de causa voluerit sua confiteri peccata; licentiam prius postulet & obtineat à proprio Sacerdote: cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. Alienus Sacerdos, qui de licentia proprii Sacerdotis absolvit, Jurisdictionem habet delegatam.

3^{to}. Omnis Sacerdos ex Ecclesiæ benignitate & generali consuetudine in tribus casibus fideles Sacramentaliter absolvendi jurisdictionem habet. 1^{us}. Si confiteantur solum venialia: 2^{us}. Si fiat confessio mortalium quidem, sed à quibus jam semel legitimè & directè sunt absoluti: 3^{ius}. Instante articulo mortis ex infirmitate aut vi aliqua externâ moraliter certò vel saltem probabiliter secutura. *Arg. cap. eos qui. 22. de Sententia excommunic. in 6.* Notanda tamen notabilis hujus limitatio.

4^{to}. Sacerdos excommunicatus vitandus, sive denunciatus non habet in his tribus casibus jurisdictionem absolvendi. Quod in duobus primis omnes admittunt; cum per excommunicationem majorem denunciatam excommunicatus careat usu jurisdictionis actualis. *Arg. cap. ad probandum. 24. de Sentent. & re judicata. & cap. 1. de offic. Vicar. in 6.* Quoad articulum mortis imprimis ab omnibus passim admittitur, quod præsentem proprio, aut privilegiato, vel non excommunicato simplici Sacerdote, excommunicatus Sacerdos moribundum absolvere non possit; quia Ecclesia in necessitate concedens cuicumque Sacerdote jurisdictionem, subvenire vult necessitati fidelium: is autem moribundus, qui vel proprium, vel delegatum, aut non censuratum Sacerdotem præsentem habet, non est in necessitate. nec caret remedio salutis. Gravior est difficultas; si in periculo mortis non adsit alius Sacerdos, quàm excommunicatus denunciatus: an ille in hoc casu necessitatis absolvendi jurisdictionem habeat?

Fagna-

Fagnano *in cap. non est vobis. de Sponsal.* contra communem sententiam respondet Negative. Pro qua resolutione adfert responſionem S. Congregationis, quæ conſulta ab Epifcopo Valentino: utrum pœnitentes in articulo mortis conſtitutos à caſibus reſervatis abſolvere poſſit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus & denuntiatus?

Respondit non poſſe. Textum Tridentini *Seſſ. 14. cap. 7.* contrarium: *Piè admodum, ne aliquis pereat in Eccleſiâ DEI, cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ita omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* Declarat S. Congregatio intelligendum eſſe de omnibus Sacerdotibus in unitate Eccleſiæ viventibus, & referendum ad eos Sacerdotes, de quibus eodem *cap. 7.* in prima & ſecunda parte agitur, videlicet, qui habent vel ordinariam, vel delegatam poteſtatem.

1^{to}. Poteſtas abſolvendi vel juridi-
ctio delegata tribus potiſſimum modis confertur: 1^{mus} modus eſt Juris diſpoſitio. Ita cuius Sacerdoti, ſaltem non excommunicato vitando, ex diſpoſitione Juris poteſtas abſolvendi in tribus caſibus ſupra enumeratis committitur. Item Sacerdoti electo ab habentibus confeſſarium eligendi privilegium, per *cap. final. de Pœnit. & Remiſſ.* facultas abſolvendi eligentem tribuitur. De quo quaerit ſequenti. 2^{us} modus eſt commiſſio hominis ſive expreſſa ſive tacita illius, qui juridiſtione ordinariam habet. Dicitur commiſſio tacita, hoc eſt: per factum aliquod, vel aliud ſig-

num de præſenti manifeſtata: quia non ſufficit commiſſio præſumpta: eo quod ſi ſuperior adeſſet, licentiam certo daret; quia abſolutio dari ab eo debet, qui de præſenti, dum abſolvit, vel ordinariam vel delegatam obtinet juridiſtione: & abſolutio abſque actuali juridiſtione nulla eſt, nec ſecurâ ratiſhabitione Superioris convaleſcit, juxta regulam Jur. 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* De Reg. Juris. in 6. Tertius modus eſt Privilegium: quale habent Religioſi. De quo

1^{to}. Summum Pontificem potuiſſe Religioſis dare per Privilegium poteſtatem abſolvendi fideles à peccatis, etiam invitis propriis Paſtoribus, conſtat ex proſpoſitionibus Joannis à Poliacio, in *Extrav. Vas electionis. 2. inter com. de hæreticis. damnatis. 1^{ma}: Confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, qua confeſſi fuerant, iterum confeſſeri proprio Sacerdoti.* 2^{da}: *Stante edicto Generali: omnis utriusque ſexus. in Concil. Lateran. Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confeſſeri, qui eſt Parochialis curatus; imò nec DEUS poſſet hoc facere: quia implicat contradicitionem.* 3^{tia}: *Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſiones; imò nec DEUS, quin confeſſus habenti licentiam, teneatur eadem confeſſeri proprio Sacerdoti, qui eſt proprius curatus.*

De facto Religioſos mendicantes, & cum iis in Privilegiis communicantes habere juridiſtione delegatam à Papa per

per *Clement. dudum. de sepult.* facetur gloss. in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. Et colligitur ex *Extrav. Vices illius 2. de treug. & pace.* Ubi inhibetur quidem Mendicantibus prædicare: quòd Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti: quia de jure tenetur parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti: additur tamen, quòd per hoc ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quominus secundùm Juris communis & privilegiorum iisdem concessorum dispositionem confessiones audire & pœnitentias injungere valeant. Magis hæc constant ex Declarationibus S. Congregationis sequentibus apud Pittoni tom. 1. num. 226. Regulares semel simpliciter approbati possunt in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, & quorumcunque infirmorum confessiones audire sine licentia Parochi, quem tamen monere debent de confessione, saltem per scripturam apud infirmum relinquendam. Et n. 217. Qui Regularibus simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexûs* quoad confessionem duntaxat satisfecisse censeantur. Item S. Congregatio apud Fagn. in cap. *Omnis. de pœnit. & remiss. n. 27.* Regulares intra diœcesin Episcopi approbantis possunt etiam absolvere pœnitentem alterius diœcesis, cum habeant jurisdictionem à Papa, ex *Clement. dudum. de sepult.* Ante Tridentinum unicum erat impedimentum in simplici Sacerdote, ne confessiones

R. D. Schnorrenberg insir. J. Can.

extra necessitatem excipere posset; quia nemo alieno Sacerdoti sine proprii Sacerdotis licentia confiteri poterat, patet ex cap. *Omnis. 12. de pœnit. & remiss.* Hoc impedimentum sublatum erat in Regularibus per privilegium Apostolicum; Tridentinum superaddit alterum impedimentum: ut nullus jurisdictionis delegatæ capax sit, sive ut nullus de licentia proprii Sacerdotis, qualis est per totam Ecclesiam Papa, per diœcesin Episcopus, per Parochiam Parochus, confessiones audire valeat; nisi à proprio Episcopo loci illius, in quo confessio audienda, approbatus sit. Et quantum ad hoc impedimentum Tridentinum privilegii Regularium derogasse fatendum est.

7^{imò.} Parochi alienorum Parochianorum confessiones excipere non possunt, etiam in propria parochia; nisi vel sint peregrini & itinerantes, vel expressam aut tacitam à proprio Parocho licentiam habentes. Ratio est: quamvis enim in Parocho eo ipso, quod parochiale beneficium obtineat, impedimento Tridentini, ne confessio non approbata fiat, sublatum sit; impedimentum tamen juris communis nondum sublatum est; cum nec à Parocho jurisdictio ordinaria in alienum parochianum, nec delegata per proprii Sacerdotis licentiam habeatur.

8^{vo.} Multò minus Presbyter sæcularis in illa diœcesi, in qua est approbatus, confluentium ex aliena diœcesi confessiones excipere potest; cum enim jurisdictio, quam talis Presbyter habere censetur, ab Episcopo, qui eum

T t

ap-

approbavit, sit delegata, non extenditur ad eos, qui Episcopo deleganti non subsunt: ac propterea nulla est absolutionis sententia, quam is Sacerdos profert in eum, in quem nec ordinariam nec delegatam jurisdictionem habere dignoscitur. Fagn. in *cap. fin. de pœnitent. & remiss.* ex declaratione S. Congregationis. Parochus potest suos parochianos, ad quos respectivè jurisdictionem habet, in quocunque loco, quacunque diœcesi totius orbis absolvere. Ratio est: quia actus absolutionis sacramentalis jurisdictionis voluntariæ actus est: Jurisdictio autem voluntaria circa proprium subditum in territorio alieno juxta universalem regulam glossæ in *cap. novit. 7. de officio legati.* exerceri potest.

9nd. Sacerdos sive regularis sive sæcularis, si non sit proprius Parochus, extra diœcesin, in qua approbatus est, confessiones etiam subditorum Episcopi approbantis audire nequit. Ratio est: quia jurisdictio delegata, quam Regularis à summo Pontifice, Sacerdos sæcularis ab Episcopo approbante habet, finibus diœcesis, in qua approbatus est, circumscribitur. Ut sapius declaravit S. Congregatio apud Fagn. in *cit. cap. fin. de pœnitent. & remiss.*

Quætes septimò. Qualiter per privilegium eligendi sibi confessarium habeatur Jurisdictio?

1^o. primò. Tale privilegium conceditur in *cap. ne pro dilatione. fin. de pœnit. & remiss.* Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superiori-

bus, necnon minoribus seu inferioribus Prælati exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam providum & discretum sibi possint eligere confessorem.

2^{dd}. Per illa verba: *Et aliis Superioribus*: intelligi quoque Parochos probat Fagnan. in *cit. cap. fin.* Primò: quia beneficium Principis est latè interpretandum, *cap. olim de v. s.* 2^{dd}. quia Parochi sunt Superiores; cùm in *cap. Tuos. 4. de Cleric. agrot.* dicantur fungi prælationis officio: & *S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 4.* vocat eos Prælatos inferiores: & *3. p. q. 6. a. 2. ad 2.* Ecclesiarum minores Principes. 3^{id}. Ratio, quare Episcopis aliisque Superioribus facultas detur eligendi confessarium, est: quia illis frequens celebratio, & quotidiana administratio Sacramentorum incumbit: ideoque in magno versarentur salutis periculo; nisi facultatem eligendi confessarium haberent. Quæ ratio pariformiter in Parochis tenere videtur.

3^{id}. Qui confessarium eligendi potestate gaudent, non alium, quam ab Episcopo approbatum eligere possunt. Ratio est: quia de facto duo impediunt, quominus simplex Sacerdos confessiones excipere valeat. 1. quidem defectus jurisdictionis in pœnitentem, qui ex parte hujus per privilegium eligendi confessarium suppletur: deinde defectus approbationis, ob quem Sacerdos per privilegium, quo pœnitens gaudet, suscipiendi jurisdictionem incapax est.

4^{id}. Episcopus Sacerdotem sibi subditum, quamvis aliàs à se non approbatum eligere potest: quia hoc ipso, quòd

quod talem eligat, approbare censetur. Taliter autem electus Sacerdos Episcopi subditus eandem, quam Episcopus in subditos suos habet, in ipsum Episcopum habet potestatem: ideoque ipsum ubique terrarum absolvere potest, Fagn. in *cit. cap. fin. de pœnit. & remiss. n. 15.*

5^{to}. Episcopus Sacerdotem extraneum alterius diœcesis in aliena diœcesi, sed non nisi approbatum ab Ordinario illius diœcesis, vel habentem in illa beneficium parochiale eligere potest.

6^{to}. Confessarius extraneus in diœcesi aliena approbatus taliter ab Episcopo v g itinerante electus, per ipsam electionem quasi ordinariam à lege accipit jurisdictionem. Unde & Episcopi eligentis proprius & ordinarius Sacerdos esse censetur: ac proinde adinstar Parochi confessiones Episcopi tanquam suæ ordinariæ jurisdictioni subjecti in quacunque diœcesi habet audiendi facultatem. Fagn. *loc. cit. n. 30.*

7^{imo}. Regularis tempore Jubilæi potest quidem eligere confessorem extraneum à suo Prælato non approbatum; attamen confessarius iste ab Ordinario illius loci, in quo confessionem excipit, approbatus esse debet, ut declaravit S. Congregatio apud *cit. Fagn. n. 19.*

8^{vo}. Si Episcopus subdito suo potestatem eligendi sibi idoneum confessarium concesserit, electus ab illo in casibus Episcopo specialiter reservatis nullam penitus habet absolvendi potestatem, *cap. si Episcopus. 2. de pœnit. & remiss. in 6.* Cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset verisimiliter quis in specie concessurus.

9^{no}. Nullâ potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare; est expressus textus in *cit. cap. 2. de pœnit. & remiss.*

Quæres 8^{vo}. Qualiter jurisdictio confessariorum per reservationem casuum restringatur?

3^o. 1^{mo}. Trident. *sess. 14. cap. 7.* docet: Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde meritò Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem liceat. Ulterioriores reservationum rationes dant Theologi sequentes: 1. Ut peccatorum reservatorum gravitas magis innotescat, dum quilibet ab illis absolvere nequit. 2. Ut peccatis reservatis proportionata imponatur satisfactio. 3. Ut homines magis ab illis deterreantur tam ob cognitam eorum gravitatem, quàm ad vitandam Ecclesiasticam disciplinam.

3^o. 2^{do}. Generales ad alicujus peccati reservationem conditiones requisitæ sunt: 1. debet esse peccatum mortale: quia licet Ecclesia venialia absolutè re-

servare possit; cùm jurisdictionem ad absolvendum à venialibus sicut dare, ita & auferre & limitare valeat; de facto tamen non nisi graviora & atrociora crimina, juxta textum *Tridentini* reservantur. 2. Debet esse opus externum: in præsentem enim nulla merè interna peccata reservantur; sed Ecclesia per reservationem peccata perceptibilia solum punire intendit: ita ut si quis faceret opus externum ad peccatum mortale secundum se non sufficiens, casum reservatum non incurreret. Pro exemplo sit casus reservatus furtum in Ecclesia: Titius, qui furatus est rem levem ex Ecclesia; quamvis auferendi pretiosiora, si occasio tulisset, animum habuerit; peccavit peccato gravi sacrilegii, non tamen casum reservatum incurrit. 3^{ia}. Debet esse peccatum consummatum. Quia, cùm reservatio sit odiosa, juxta proprietatem verborum ad actum perfectum restringenda est; nisi verba reservantis etiam operis attentationem exprimant. 4. Debet esse peccatum certum. Ideo peccata dubia, ut, quando dubitatur, an peccatum sit commissum, vel quamvis sciatur commissum, si dubitetur, an semel legitimè sit clavibus subjectum, de facto sub simplici & ordinaria reservatione non comprehenditur. 5. Demum tot sunt casus reservati summo Pontifici, quot illi censuræ reservantur: quia de facto Papa sibi peccata propter censuras annexas reservat: ideo si Papa per privilegium absolvendi à censuris sibi reservatis facultatem alicui concedat, etiam absolvendi à casibus sibi reservatis fa-

cultatem concedere censetur; & quancumque propter ignorantiam censuræ annexæ, vel ex alia causa, non incurritur excommunicatio Pontifici reservata, peccatum, cui excommunicatio annexa est, voluntariè committens casum reservatum non incurrit. Exemplum est: In Germania, ubi Hæretici mixti Catholicis: Aliquis non sciens sub excommunicatione prohibitum legere libros hæreticos; quamvis id sæpius illicitum esse audierit, si legat librum hæreticum, peccat quidem; quia tamen propter contumaciam & inobedientiam contra Ecclesiam excommunicationem non incurrit, non habet casum summo Pontifici reservatum.

3^{id}. Per Bullam Cœnæ quotannis in Cœna Domini Romæ promulgari solitam excommunicantur excommunicatione majori summo Pontifici reservatâ, & consequenter casum reservatum incurrunt sequentes: 1. Hæretici cujuscunque sectæ, eorundem factores, libros hæreticos legentes, tenentes, imprimentes, & Schismatici. 2. Appellantes à Summo Pontifice ad futurum Concilium, eorundem fautores. 3. Piratæ ac eorum fautores & receptores. 4. Naufragorum Christianorum cujuscunque generis bona etiam in littoribus inventa surripientes. 5. Imponentes nova pedagia & gabellas, vel eas augentes. 6. Falsarii Literarum Apostolicarum. 7. Deferentes arma & alia usui bellico idonea ad Turcas vel alios Christiani nominis inimicos, & proditores, qui ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia iisdem in dam-

damnum Christianorum nuntiant. 8. Impedientes eos, qui victualia & alia necessaria Romam convehunt. 9. Qui ad Sedem Apostolicam venientes vel ab ea recedentes suâ vel aliorum operâ lædunt, & sine jurisdictione in Curia commorantes vexant. 10. Lædentes Romipetas, sive peregrinos ad Urbem devotionis causâ accedentes, vel ad hoc consilium, auxilium, & favorem dantes. 11. Offendentes S. R. E. Cardinales aliove Prælatos. 12. Appellantes à gravamine vel futura executione literarum Apostolicarum ad Laicam potestatem. 13. Executionem literarum Apostolicarum impediens, aut prohibens eos, qui ad gratiam impetrandam Curiam Romanam accedunt. 14. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas ad sua tribunalia trahunt, vel Ecclesiasticam libertatem tollunt, vel in aliquo lædunt, aut perturbant. 15. Impedientes Prælatos Ecclesiasticos ne suâ Jurisdictione utantur. Item qui judicia Ecclesiastica eludentes ad Curias sæculares recurrunt. 16. Qui jurisdictiones, fructus, redditus, & proventus ad Ecclesias vel personas ecclesiasticas ratione Ecclesiarum pertinentes usurpant, vel sequestrant. 17. Imponentes decimas & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, aut eorum fructibus. 18. Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas. 19. Demum occupantes bona aut terras Ecclesiæ Romanæ, vel illius jurisdictionem usurpantes.

4^{to}. Præter casus in Bulla Cœnæ recensitos multi casus Summo Pontifici

reservati sunt, quorum alii in corpore Juris, alii in Extrav. Juri insertis, alii in constitutionibus Apostolicis nondum in jus communè relatis continentur. Specialiter per declarationem S. Congregationis assentiente Clement. VIII. Anno 1602. 26. 9bris ablatâ potestate absolvendi in Italia omnibus Regularibus reservati sunt præter casus Bullæ Cœnæ sequentes: 1. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum aliis nonnulli*. 2. Violatio clausuræ Monialium ad finem malum. 3. Provocatio & pugna in duello contra prohibitionem *Tridentin.* & constitutionem Greg. XIII. 4. Injectio violenta manuum in Clericum. *Can. si quis suadente. caus. 12. q. 4.* 5. Simonia realis scienter contracta, aut etiam confidentialis in beneficiis.

5^{to}. Casus Episcopis reservati alii sunt de jure, alii de consuetudine. *Extrav. inter cunctas, de Privileg.* Aliquos autem de facto sibi reservant, qui hodie casus Episcopales vel casus Episcopo reservati vocantur. De quibus S. Congregatio sub Clemente VIII. supra relata. Ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant: Sacra Congregatio imprimis illos admonendos censet, ne passim, sed cum id videatur bono communi expedire, atrociorum tantum & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, in ædificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin Sacramenti

Pœnitentiæ Ministrorum coarctatâ potestate sanctæ Matris Ecclesiæ piæ mentis contrarius effectus subsequatur. Deinde prohibet, ne sibi superflue reservent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reservados. Juxta agendam Coloniensem Archi-Episcopo Colonienſi reservati sunt casus sequentes: 1. Homicidium. 2. Sacrilegium. 3. Incendium Ecclesiæ deliberatâ voluntate procuratum. 4. Sodomia. 5. Adulterium manifestum. 6. Raptus Virgini. 7. Incestus cum consanguinea in primo vel secundo Gradu, vel Sanctimoniali. 8. Injectio violenta manuum in parentes cum læsione. 9. Sortilegia & veneficia, & ligaturæ, & omne maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus. 10. Perjurium manifestum. 11. Apostasia à fide. 12. Blasphemia magnæ seriò prolata. In quibus casibus hæc moderatio observanda, ut si occulti sint, quilibet Sacerdos legitime approbatus & institutus in foro conscientiæ absolvere possit.

6to. Ex constitutione Clement. VIII. de casibus reservatis Superiores Regularium sibi reservare possunt casus sequentes: 1. Veneficia, Sortilegia, incantationes. 2. Apostasia à Religione sive dimisso sive retento habitu, quando eò pervenitur, ut extra septa Monasterii vel Conventûs fiat egressio. 3. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 4. Juramentum falsum in judicio regulari sive legitimo. 5. Procuratio, auxilium, sive consilium ad faciendum abortum factûs ani-

mati, effectu etiam non sæcuto. 6. Falsificatio manûs aut Sigilli Officialium Monasterii aut Conventûs. 7. Furtum de rebus Monasterii seu Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 8. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus, quo nomine non sola copula, sed voluntariæ etiam & solitariæ pollutiones juxta communem sententiam intelliguntur. 9. Occisio seu vulneratio, aut gravis cujuscunque personæ percussio. 10. Malitiosum impedimentum seu retardatio aut apertio literarum à Superiori ad inferiores, vel ab inferiori ad Superiores. Si quid aliud pro religionis conservatione aut conscientiæ puritate superioribus reservandum videbitur, id non nisi ex declaratione & consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, aut Provincialis pro Provincia fieri permittitur. Possunt tamen Prælati Confessariis injungere, ut pro quibusdam peccatis etiam non reservatis certas pœnitentias imponant.

7imo. Generalis circa absolutionem à reservatis regula est: quod ordinariam absolvendi potestatem habeat reservans, ejus Superior & Successor: delegatam autem quilibet ex commissione & delegatione judicis reservantis.

8vo. Circa casus Pontifici reservados absolvendi ab eis potestatem Episcopi obtinent in circumstantiis sequentibus: 1. Si peccatum occultum, per *Trident. Sess. 24. cap. 6.* ibi: Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientes, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad
forum

forum contentiosum dispensare : & in quibuscunque casibus occultis , etiam Sedi Apostolicæ reservatis , delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos , aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere , impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine , in eodem foro conscientiæ , eis tantum , non eorum Vicariis , sit permiffum. Hoc Decretum Tridentini ad casus in Bulla Cœnæ contentos non extenditur , nec ab illis vigore hujus Decreti Episcopus absolvere potest. Declaratum est à Gregorio XIV. & Clemente VIII. Item S. Congregatio apud Piacensium *in praxi Episcop. Par. 2. cap. 1. n. 4.* interrogata : An Episcopus hodie ex *cap. 6. Sess. 24.* Lapsos in hæresin , non obstante Bulla Cœnæ Domini absolvere possit ? censuit illam Bullam derogare Decreto capituli. *6. Sess. 24. 2.* Si quis legitimo impedimento detentus ad Sedem Apostolicam vel ejus Legatum accedere non possit. *cap. de cætero. cap. quamvis. cap. quod de his. cap. ea noscitur. de Sentent. excomm.* Causæ legitimè impediens numerantur : paupertas , valerudo imbecillis , perpetua infirmitas , conditio sexûs muliebris , status servilis , impuberis , Relligiosi. *cap. mulieres. 6. cap. cum illorum. 32. de Sentent. excomm. 3.* De mum à percussione levi Clerici absolvere potest Episcopus : *cap. pervenit. 17. de Sentent. excomm.* Quæ levitas ex qualitate personæ percussæ , percutientis , modo & loco percussionis , sive ex circumstantiis facti ponderanda est. Habens ab Episcopo generalem à casibus

reservatis absolvendi licentiam ab his casibus absolvere nequit : quia , nisi aliter exprimat , censetur tantum concessa potestas circa peccata ab Episcopo per potestatem ordinariam reservata.

9nd. Ex pluribus Privilegiis , & signanter ex Privilegio Pauli III. ut refertur in compendio Privilegiorum Societ. JESU. *Verb. absolutio.* Possunt P. P. Societat. JESU & regulares cum illis in Privilegiis communicantes ab Ordinariis approbati , & à Superioribus Deputati absolvere à quibuscunque peccatis etiam Sedi Apostolicæ reservatis , & à quibuscunque censuris & pœnis Ecclesiasticis ex his resultantibus. Hæc & similia Privilegia Regularium limitata sunt per sequentia : Imprimis S. Congregatio , approbante Summo Pontifice , Anno 1628. declaravit : Regulares cujuscunque Ordinis & instituti , nec intra nec extra Italiam , in vim Privilegiorum vel confirmationum , quas hæctenus obtinuerunt , vel deinceps forte obtinebunt , posse quenquam absolvere à casibus in Bulla Cœnæ aut Ordinatio loci reservatis : ab aliis verò casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis , si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem , illam extra Italiam minimè esse sublatam.

Deinde Clemens X. in constitutione , quæ incipit : *Magna Patrisfamilias.* Declaravit ex facultatibus per mare magnum aliave Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis , instituti , aut Societatis etiam JESU concessis , factam iis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo reservatis ; & per confirma-

firmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem Regularem confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, in qua idem confessor approbatus est, absolvere; nisi eosdem pœnitentes in fraudem reservationis noverit ad alienam Diœcesin pro absolutione obtinenda exiisse.

10^{mo}. Quando confessarius habet pœnitentem cum casu manifestè reservato, à quo eundem nec Jure ordinario nec delegato absolvere potest, cum vel ad superiorem remittere, vel ipse à superiore absolvendi facultatem petere debet. Constat ex illo *Trident. Sess. 14. cap. 7.* Cum Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant. Et ratio est: quia ad integritatem confessionis pertinet, ut de omnibus mortalibus fiat coram legitimo Judice accusatio: qualis ille tantum est, qui de integra causa cognoscendi habet potestatem, ut absolutio ab eodem legitime obtineri possit.

11^{mo}. Si aliqua necessitas urgeat, ut si Sacerdos sacrificare, aut Laicus communicare debeat, & non sit facilis ad superiorem accessus, confessarius non habens potestatem in reservata pœnitentem absolvere potest: ita ut absolutio directè cadat in non reservata, indirectè verò in reservata, imposito simul pœnitenti onere superiori se presentandi, ut à reservatis quoque directè absolvatur; nisi ipse confessarius absolvendi licentiam, personam pœnitentis non nominatam, à superiore impetrare malit.

12^{mo}. Si Episcopus facultatem absolvendi à reservatis concedat; ex hoc facultatem absolvendi à censuris, aut dispensandi in votis, vel irregularitate dare non censetur. *cap. si Episcopus. de Pœnit. & Remiss. in 6.* Et quamvis dicat: Committimus tibi vices nostras: potestatem absolvendi in casibus specialiter reservatis tribuere non dicitur, *per cap. in Generali. de reg. Juris, in 6.* Aliud est in Papa: qui eo ipso quo dat potestatem absolvendi à reservatis, etiam facultatem absolvendi à censura, cum censura casui Papali semper annexa sit, concedere dicendus est.

13^{to}. In probabili mortis articulo omnis Sacerdos etiam non approbatus, nec expositus in absentia Sacerdotis ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentis à quibuscunque reservatis Papæ vel Episcopo, & non tantum à peccatis; sed etiam censuris, quæ Sacramentorum susceptioni & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, ut excommunicatio, interdictum locale &c. absolvendi habet potestatem. In articulo mortis abso-

absolutus cessante periculo non est obligatus, ut se Superiori, cui jure Ordinario absolutio à talibus peccatis reservata est, coram sistat: quia juxta declarationem Trident. in morte nulla est reservatio. Si tamen peccato annexa censura superiori reservata; tunc absolutus, cessante mortis periculo, superiori, ad quem de Jure Ordinario pertinet absolutio, se sistat, necesse est: non quidem, ut iterum absolvatur: sed ut mandato ejus, cui contumaciter restitit, humiliter obtemperet.

14^{to}. Quicumque Confessarius sive Regularis sive secularis præsumit absolvere absque legitima facultate ab aliquo casu in Bulla Cœnæ Domini contento, ipso facto excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit.

Quæres nono. Quas qualitates confessarius habere debet?

R. In confessario requiritur 1. *Scientia*. Caveat spiritualis Judex, ut non careat munere scientiæ: oportet enim, ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut, quod debet judicare, discernat, *Can. qui vult. 1. de Pœnit. dist. 6.* Quare qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & solvere: ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. *Can. quem pœnit. 88. de Pœnit. dist. 1.* 2. *Probitas*. Sacerdos, cui offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judica-

R. D. Schnorrenberg Instr. J. Can.

re est promptus. Judicans enim alium, qui est judicandus, condemnat se ipsum. *cit. Can. qui vult. 3. Prudentia*. Sic confessarius diligens Inquisitor, & subtilis investigator, sapienter & quasi astute interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundiâ velit occultare. *cit. Can. qui vult. 4. Demum benignitas, & discretio*. Adsit benevolus, paratus erigere, & secum onus portare: Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate: adjuvet confitentem orando, eleëmofynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit, etiam increpando. *cit. Can. qui vult.*

Quæres decimo. Quanta obligatio Confessarii ad Sigillum?

R. Obligatur confessarius ex jure naturali & divino peccata in confessione audita reticere. Sic enim loquitur *Can. Sacerdos. 2. de Pœnit. dist. 6.* Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur, peccata alicui recitet: non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. *Cap. omnis utriusque. 12. de Pœnit. & Remiss.* Caveat omnino, ne verbo aut signo, aut aliquo modo aliquatenus prodatur peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione cautè requirat. Nunquam igitur est revelanda confessio, nisi de consensu pœnitentis. *Gloss. in cit. Can. Sacerdos.* Quia illud, quod scit Sacerdos ex confessione, non ut Judex vel ut homo scit, sed ut DEUS. *Cap. si Sacerdos. 2. de offic. Ordinar.*

Uu dinar.

dinar. Et qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumperit revelare ; non solum à Sacerdotali officio est deponendus , verum etiam ad agenda perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium est detrudendus. *cit. cap. omnis utriusque.*

Quæres undecimò. An liceat Sacerdoti uti scientiâ confessionis.

R. Nullo modo in præiudicium pœnitentis. Anno 1682. 18. 9bris prohibita est hæc propositio: *Scientiâ ex confessione acquisitâ , modò fiat sine directâ vel indirectâ revelatione & gravamine pœnitentis , uti licet , si aliud multò gravius ex non usu sequatur , in cuius comparatione prius meritò contemnatur.* Additâ deinde explicatione sive limitatione: quod intelligenda sit de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis , seclusâ quacunque revelatione , atque in casu quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Et Clemens VIII. Anno 1593. 26. Maji , in Decreto de *Reservatione casuum* pro Regularibus , in fine præcipit , ut tam Superiores pro tempore existentes , quam confessarii qui postmodum ad superioritatis gradum promoti fuerint , caveant diligentissimè , ne eâ notitiâ , quam de aliorum peccatis in confessione habuerint , ad exteriorem gubernationem utantur. Ratio est : quia pœnitentes si scirent , ex notitia peccati in confessione detecti aliquid sibi negari aut fieri circa se ullo modo posse , ab usu Sacramenti pœnitentiæ abstraherentur. Finaliter nota Doctrinam Fagnani in *cap. Officii. 9. de Pœnit. & Remiss.* Ubi quæ-

rit : an liceat contra sigillum revelare peccatum ; quod in confessione auditum , sine directâ vel indirectâ manifestatione peccatoris ? & respondet imprimis id licitum consilii capiendi causâ , ut patet *ex cnp. Omnis utriusque* , ibi : Si prudentiori consilio indigerit , illud absque ulla expressione personæ cautè requirat. Deinde extra hunc casum capiendi consilii dicit ex Jure Ecclesiastico prohibitum , peccata in confessione audita aliis manifestare vel de iis loqui propter periculum , quod sæpius subest. Unde malè faciunt , & ad minus contra Regulas prudentiæ peccant , qui in conferentiis & colloquiis sibi talem aut similem casum in confessione propositum esse dicunt vel fatentur.

Quæres duodecimò. Ad quem Judicem pertineat cognoscere de violatione Sigilli ?

R. 1mò. Si reus Sacerdos non exemptus , Judex est Ordinarius. Colligitur *ex cap. significasti. 5. de adulter.* Ubi Alexand. III. Episcopo injungit , ut Sacerdoti infamato , ne contra Apostolum infirmorum corda malâ ipsius famâ percutiantur , & ne vituperetur ministerium nostrum , neque securiores Presbyteri existentes in peccatum licentius prolabantur , canonicam purgationem imponat.

2dò. Sacerdos exemptus sive Regularis sive sæcularis , cui cura animarum non est commissa , nec ab Ordinario approbatus , si Sacramentorum administrationi se se ingessit , aut aliàs in Sacramentis administrandis erravit , ut fieret , si sigillum frangeret , jurisdictioni &

COR-

correctioni Episcopi non subjicitur; sed à suo superiore vi juris communis & Tridentini, ut probat Fagnan, in cap. cum capella. de Privil. corrigendus est. Attamen per constitutionem Gregorianam *inscrutabili*. tam Regulares quam sæculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis vel beneficiis, sive regularibus, sive sæcularibus incumbentem exerceant, sive aliàs ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, præviâ Episcopi licentiâ & approbatione, sive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, vifitationi, & correctioni Diœcesani Epif-

copi tanquam Sedis Apostolicæ Delegati plenè in omnibus subjiciuntur.

Clemens X. addidit in constitutione: *Superna*. Si Regulares cum scandalo aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi: in quo ipse Episcopi conscientiam oneratam esse voluit; cum præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas: utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspendere aut repellere à confessionibus audiendis: attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsultâ Sede Apostolicâ, nullatenus posse.



A P P E N D I X.

D E

CENSURIS ECCLESIASTICIS.

§. Primus.

D E

Censuris in Communi.

Quæres primò. Unde nomen Censura?

R. Illud derivatur à Censore. Olim in Republ. Romana Judices constituti ad corrigendos mores Censores appellabantur, quorum correctio vel punitio dicebatur censura. Hac significatione utens Ecclesia pœnam, quam fidelibus injungit, censuram nuncupavit.

Quæres secundò. Quid est censura?

R. Est pœna spiritualis & medicinalis ecclesiastica potestate inflicta, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium, ut à contumacia desistat.

Dicitur 1. *Pœna*. Quia est privatio bonorum. 2. *Spiritualis*. Quia primariò privat spiritualibus. 3. *Medicinalis*. Quia non tam vindicat peccatum præteritum, quàm continuationem peccati cohibet. 4. *Inflicta ab Ecclesiastica potestate*: Quia est pœna Ecclesiæ. 5. *Hominem baptizatum*. Nam soli fideles subiectum sunt. 6. *Demum*, ut à contumacia desistat. Fi-

nis enim censuræ est, ut homo respiciat, neque sit ulterius inobediens Ecclesiæ.

Quæres 3^{id}. Quot species Censuræ?

R. Tres. Excommunicatio, suspensio, & interdictum. Quia, ut dicitur in *cap. quaranti. 20. de V. S.* per censuram non solùm interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia intelligitur. Idem habetur in *cap. Statutum. 13. de Sentent. excomm. in 6.* Non obstat, quod aliqui addant cessationem à divinis, & irregularitatem: quia cessatio à divinis vel comprehenditur sub interdicto, vel non est pœna fidelibus imposita, sed ipsa omissio divinorum officiorum in signum mœroris Ecclesiæ ob injuriam à subditis illatam, & tam pro innocentibus quam pro reis datur. Irregularitas, item depositio & degradatio non sunt pœnæ medicinales, sed sunt perpetuæ contra incorrigibiles, nec non absolute, sicut censura, sed dispensatione tolluntur.

Quæres

Quæres *quartò*. Quot modis fertur Censura ?

R. primò. Censura vel fertur à Jure, vel ab homine. Censura à Jure ferri dicitur, quæ mediante Lege aut Statuto lata est, & hæc mortuo Legislatore vim suam retinet. Censura ab homine est, quæ à Judice mediante sententiâ vel mandato fertur. Hæc nondum incurfa mortuo Superiore cessat; quia autoritas & jurisdic-tio, à qua dependet, cum morte ex-pirat.

2dò. Censura alia est generalis, alia specialis. Specialis ob speciale factum in determinatas personas; generalis in omnes vel plures fertur; ut si Episcopus excommunicet omnes, qui aliquod festum violabant.

3tò. Censura alia est latæ, alia fe-rendæ sententiæ. Latæ sententiæ est, quæ commisso delicto statim incurri-tur, & ante sententiam Judicis ligat; sive quæ secum trahit executionem, ut dicitur in *cap. Pastoralis*, 53. §. *Verùm*. de *Appellat*. Solet exprimi his verbis: Ipso facto sit excommunicatus; Excommu-nicamus eum, qui tale delictum fece-rit: subjaceat excommunicationi: ex-communicationem incurrat: noverit se esse excommunicatum &c. Censura sententiæ ferendæ dicitur, quæ com-misso delicto ante Judicis sententiam non incurritur. Solet exprimi: Præ-cipio sub pœna excommunicationis, Qui hoc fecerit, excommunicetur &c.

4tò. Censura alia est absoluta, alia conditionata. Absoluta est, quæ sine aliqua conditione fertur: conditio-

nata, quæ involvit conditionem, ut si Judex dicat: Nisi tali die solveris, te excommunico. Censura conditionata, quando conditio impletur, solùm vi-res habet. Si verò pendente condi-tione Judicem mori, aut jurisdic-tionem amittere contingat, conditione etiam impletâ censura caret effectu. Item si conditione pendente fiat appel-latio, effectus censuræ, conditione et-iam impletâ, impeditur. Constat ex *cap. præterea*, 40. de *appellat*. Quia si pendente conditione appelletur, idem est, ac si, antequam censura lata, ap-pellaretur.

Quæres *quintò*. Penes quos potestas ferendi censuram ?

R. 1mò. In Ecclesia est potestas fe-rendi censuras fundata in illo *Matth.* 16. & 18. *Quodcumque ligaveris super ter-ram, erit ligatum & in cælis. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Erb-nicus & Publicanus.* Quibus verbis Pe-tro ejusque Successoribus generaliter li-gandi & solvendi non solùm in foro interno, sed etiam externo datur po-estas. Hæc autem potestas probatur ex illo 1. *Cor.* 5. *Judicavi tradere hujus-modi Sathana in interitum carnis, ut spi-ritus ejus salvus fiat.* Loquitur ibi Apo-stolus de homine incestuoso, qui uxorem Patris sui cognoverat, quæ tra-ditio erat effectus excommunicationis latæ à S. Paulo, ut communiter inter-pretantur SS. Patres.

2dò. Potestas ordinaria ferendi cen-suras est *1mò* in summo Pontifice: quia cujuslibet Reipublicæ benè ordinatæ supremus Princeps subditos non tantùm

per leges dirigendi, sed etiam inobedientes bonis communibus privandi habet potestatem. Ergo eandem potestatem supremus Ecclesiæ Princeps obtinet. 2dò. Hæc potestas est penes Archi-Episcopos respectu subditorum suæ diocesis, constat ex *cap. pernicioso. 1. de offic. Ordinarii. Habeant Episcopi singularum urbium in suis diocesis liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundum quod Canones censent, absque impedimento alicujus.* Non verò respectu subditorum Episcopis Suffraganeis, nisi in casu appellationis & visitationis; cum nec excommunicantur: am nec excommunicatorum sint Judices. *cap. Venerabilibus 7. de sentent. excom. in 6. 3tò penes Cardinales respectu propriarum Ecclesiarum. cap. his que. 11. de majorit. & obedient. 4tò penes Legatos à latere respectu Provinciae legationis suæ. cap. Legatos. de offic. Legati. in 6. 5tò penes Vicarium Episcopi, qui constituit cum Episcopo idem tribunal. cap. non putavimus. 2. de consuetud. in 6. 6tò demum penes Prælatos inferiores, quibus vel ex consuetudine, vel ex privilegio Pontificio potestas jurisdictionis in foro externo competit. *cap. Veniens, de eo, qui furtivè Ord. suscepit. cap. dudum, 54. de elect.**

3tò. Potestas ferendi censuras delegata est penes omnes, quibus habentes ordinariam, hoc est: suo officio vel dignitati in perpetuum annexam, committunt: quia potestas ordinaria, eo ipso, quo ordinaria est, delegari potest. *cap. cum Episcopus, 7. de offic. Ordinari. in 6.* Fœmina jurisdictionis ecclesiasticæ incapax est,

cap. dilecta. 12. de majorit. & obedient. cap. nova. 10. de pœnit. & remission. Quia licet Beatissima Virgo MARIA dignior & excellentior fuerit Apostolis universis; non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cælorum commisit. Quapropter fœminæ potestas ferendi censuras nec delegari potest.

Quæres sextò. Quæ conditiones requiruntur ex parte ferentis censuram, ut ligare dicatur?

R. Sequentes. 1. Censura voluntariè & humano modo ferri debet. *cap. cum voluntate 54. de sentent. excomm. 2.* Ferens censuram in proprio territorio exiltere debet: ferre enim censuras est jurisdictionem contentiosam exercere, quod Judex extra proprium territorium nequit. *cap. novit. 7. de offic. Legati. 3.* Ferens censuram nec censurâ ipse ligatus, nec odii aut vindictæ affectu præoccupatus esse debet. 4. Præmittenda est monitio seu censuræ comminatio. Censura enim fertur in contumaces & inobedientes ad præveniendum peccato futuro, vel in satisfactionem præteriti. *cap. Statutum. 13. de sentent. excomm. in 6. cap. irreprehensibilis. 24. de appellat.* Ut feratur Censura per modum sententiæ, monitio trina, vel una virtualiter trina in scriptis causam, propter quam feratur, continentibus præmittenda, & coram testibus, aut si censurandus lateat, ad domum illius, vel in Ecclesia aliove loco publico, concessio ad deliberandum sufficienti temporis spatio, juxta circumstantias & qualitates negotii insinuanda aut affigenda est. 4. Demum censura die non feriato ferenda: quia

quia causæ cognitionem, à qua die feriato abstinentium, plerumque requirere dignoscitur.

Quæres septimò. Quæ conditiones ex parte subjecti requiruntur?

R. Sequentes. 1. Debet esse homo vivus. *can. Legatus. 2. caus. 24. q. 2.* Quia Ecclesia in mortuos non exercet jurisdictionem. 2. Debet esse baptizatus; quia Ecclesia non punit extra Ecclesiam constitutos. 3. Debet esse rationis capax: Qui enim non est capax peccati, pœnæ quoque capax esse non potest. 4. Debet esse subditus censuram ferentis: quia Superior in non subditum jurisdictionis exercitium extendere nequit. *cap. cum inferior. 16. de majorit. & obedientia. cap. à nobis. 21. de sentent. excomm.* Ex quo summus Pontifex, cum nullum Superiorem in terris agnoscat, censuræ periculum neque à Jure neque ab homine timendum habet.

Quæres octavò. An quis duplici censurâ ligari possit?

R. Ob diversas causas idem homo duplici censurâ diversæ vel ejusdem speciei ligari potest; colligitur ex *Clement. Graviss. 2. de sentent. excomm. cap. cum pro causa cap. officii. eod. tit.* Ratio est: quia censura est vinculum morale bonorum spiritualium privationem causans: vinculum autem morale multiplicari potest, etsi privatio non multiplicetur.

Quæres nonò. Ob quas causas censura ferri potest?

R. Ad infligendam excommunicationem majorem, suspensionem vel interdictum requiritur 1. culpa mortalis; quia hæc pœnæ gravissimæ sunt: pœnam

autem culpæ proportionari oportet. Unde si quis per ignorantiam aliamve causam à peccati mortalis reatu excusetur, ipse quoque à censura excusandus erit. 2. Actus externus; cum de internis non judicet Ecclesia. 3. Actus prohibitus ab Ecclesia sub censura comminatione: censura enim absque præviâ monitione non fertur; ideoque ob peccatum merè præteritum censura ferri nequit, ut puniatur actus sine novo inobedientiæ peccato. 4. Debet esse peccatum in genere suo secundum proprietatem verborum legis, per quam fertur, completum: Leges enim pœnales strictè & propriè sunt sumendæ. Unde quando censura lata contra aliquem delinquentem v.g. furantem: illa mandantes & consulentes non ligat; nisi id in lege specialiter exprimat.

Quæres decimò. Quæ sunt causæ ab incurfione censuræ excusantes?

R. Sequentes: 1. Si incapax censuræ sit censuratus, quia v.g. non est baptizatus, carens usu rationis &c. 2. Si ferens censuram jurisdictione careat: ut si ante latam censuram legitima appellatio interposita fuerit. *cap. Pastoralis. de appellat. & cap. licet. de sentent. excomm. in 6.* Si appellans se gravatum esse judicet, Judex autem à quo appellationem frivolum judicans appellantem excommunicet: appellans, donec Judex ad quem pronuntiet legitime esse appellatum, in foro externo pro excommunicato sese gerere debet. 3. Si sententia censuram ferens errorem contineat intolerabilem. *cap. per tuas. de sentent. excomm. cap. Venabilibus. eod. in 6.*
ut

ut si sub excommunicatione impossibile, inhonestum, aut lege prohibitum præcipiatur. 4. Si consentiat ille, in cuius favorem censura lata est. Ut: Judex excommunicavit debitorem, si intra quindenam debitum non solvat: si creditor terminum solutionis ad trimestre proroget, præteritâ quindenâ debitor censuram non incurrit; si verò lapso trimestri non solvat, censurâ ligatur. Quia illa temporis determinatio facta à Judice non fuit ad obligationem finiendam, sed ne solutio ultra terminum illum absque creditoris consensu prorogaretur. 5. Per ignorantiam censuræ: imprimis invincibilem juris & facti antecedentem & concomitantem. Talis enim ignorantia à culpa excusat. Deinde per ignorantiam vincibilem. Quia censura ad coercendos inobedientes & rebelles fertur; ignorans autem vincibiliter, quamvis peccet, non tamen est rebellis Legi vel Superiori. Ignorantia affectata, crassa & supina juxta *cap. ut animarum. 2. de constitut. in 6.* non excusat; nisi censura sit lata contra eos, qui scienter, consultò, temerè, vel ex præsumptione cum dolo aut contemptu aliquid egerint. 6. Metus gravis in virum constantem cadens. Quia lex humana cum tanto damno vel periculo obligare non solet. 7. Innocentia. Verè enim innocens puniri non potest, & sententia lata contra innocentem manifestum continet & intolerabilem errorem. Si in aliquem censura feratur, qui coram DEO innocens, in foro tamen externo probatur nocens, reverà censuram non

incurrit; ideoque in foro conscientie occultè celebrare potest, nec irregularitatem contrahit, quamvis in foro externo se velut excommunicatum gerere debeat.

Quæres undecimò. Quandonam tollitur censura?

1. Censura incurta non tollitur morte eam ferentis: quia pœna ob violationem præcepti injuncta tamdiu durat, donec legitimè tollatur. *cap. Pastoralis. 11. §. prætereà. de offic. Ordin. v.* Nec 2dò morte ipsius censurati; nam fideles corpus in censura defuncti in loco sacro sepelire non obligantur; nec pro anima ejus communia suffragia & sacrificia offerre licet. *cap. à nobis. 28. cap. Sacris. 38. de sentent. excomm.* Nec 3tò per emendationem delinquentis, aut satisfactionem parti læsæ præstitam. *cap. cum desideres 15. de sentent. excomm.* Quia quamvis censura imponatur, ut parti læsæ satisfiat, vel peccans se emendat, eo ipso tamen, quo se emendaverit, non cessat; sed expectanda absolutio. Et licet ille, qui violentas manus in Clericum injecit, ei, quem læsit, per compositionem & reconciliationem satisfecisse videatur: Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur: & nisi forma Ecclesiæ, quæ pro absoluteione talium introducta est, observetur, non est communicandum eidem, ut loquitur *cit. cap. cum desideres. 4tò.* Per solam ergo absoluteionem censura semel incurta tollitur, concessâ Petro ligatos solvendi potestate.

Quæ:

Quæres duodecimè. Quot modis fieri potest absolutio?

1. *Sequentibus.* 1. Simpliciter & absolutè, ad quam determinata verba non requiruntur: sed voluntatem absolventis exprimi sufficit, nec causa, ob quam censura incurfa, exprimi necesse est. Unicâ quoque absolute à pluribus censuris quis absolvi potest, In utroque tamen foro verbo vel scripto absolutio danda est.

2d. Absolutio sub conditione de præfenti, præterito, & futuro dari potest. Si conditio præfens aut præterita existat, valet absolutio; si non existat, non valet. Si conditio futura, suspensa manet, donec ponatur conditio. In quo patet differentia inter absoluteionem sacramentalem, quæ cum non pendeat immediatè à voluntate absolventis, sed remotè: quatenus ex illa voluntate materia & forma Sacramenti à Christo instituta oritur: ideo absolutio Sacramentalis sub conditione dari nequit; absolutio verò à censura cum pendeat à voluntate absolventis exterius expressa, ideo sub conditione dari, & effectus ejusdem suspendi potest.

3rd. Ad cautelam datur absolutio, ut nempe malum, quod aliàs tam reo, quam aliis provenire posset, caveatur. Talis absolutio frequenter præmitti solet absoluteioni à peccatis; quando videlicet ille, qui absolvitur, censuræ ignarus est, vel suspicionem de censura habet: & ideo ad vitandam Sacramenti irreverentiam petit absolvi ad cautelam.

4rd. Absolutio ad reincidentiam dari

R. D. Schnorrenberg Instit. J. Can.

potest, qualis est, si quis pro aliquo tempore tantum, vel pro aliquo tempore absolutè, & pro reliquo sub conditione alicujus operis præstandi, vel tantum in ordine ad aliquem effectum absolvatur. Taliter debitores censurati ob non solum debitum, imposito præcepto, ut nisi intra tale tempus solvant, in uensuram reincidant, sæpè absolvuntur.

Porro potestatem absolventi à censuris ab homine specialiter latis habet ille, qui censuram tulit, juxta regulam generalem: Res per quascunque causas nascitur, per easdem & dissolvitur. Item ille, qui Authori censuræ in officio & dignitate succedit: quia censetur eadem persona cum prædecessore. *Can. si Episcopus. 40. caus. 11. q. 3.* Item, qui pleno jure illius, qui censuram tulit, Superior est, ac demum ab Authore censuræ cum causæ cognitione delegatus. A censura generaliter lata, & à censura Juris non reservata quilibet in foro externo jurisdictionem habens sibi subditos absolvere potest; ut enim dicitur in *cap. nuper. 29. de sentent. excomm. Quando conditor canonis ejus absoluteionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* A censura lata à Jure reservata solum absolvere potest Author illius, vel ejus Successor, vel Superior, vel delegatus, aut demum privilegiatus. Sic Episcopi vigore Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reform.* ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, modò nec publicæ, nec ad forum contentiosum sint deductæ, & juxta *cap. ea nosi-*

nositur. 3. & cap. quamvis. 58. de Sentent. excomm. Quoslibet Summum Pontificem ex quacunque causa adire impeditos absolvere possunt. Similiter & Regulares mendicantium ordinum, ac cum iis in

Privilegiis communicantes ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ, absolvendi habent potestatem,

§. Secundus.

D E

Excommunicatione.

Quæres primò. Unde nomen excommunicatio?

ꝛ. Dicitur excommunicatio, quia à communione separat; In principio enim Ecclesiæ excommunicati dicebantur, qui à communione corporis Christi separabantur. Dicitur quoque anathema, quod maledictionem & execrationem significat, ut *Marci 14. Capit anathematizare.* eò quod excommunicatus tanquam aliud execrabile & maledictum vitetur.

Quæres secundò. Quid est excommunicatio?

ꝛ. Est censura Ecclesiastica separans excommunicatum à communione fidelium, hoc est à communicatione in colloquiis, contractibus, commerciis, Sacramentis, orationibus Ecclesiæ, aliisque officiis. Quamvis autem ceteræ censuræ etiam aliquibus ex his bonis privent, ab excommunicatione tamen distinguuntur, quia excommunicatio directè & per se his, in quantum in illis est communicatio aliqua cum fidelibus, privati: ceteræ autem privant Sacramentis & officiis divinis, in quan-

tum Sacramenta & officia divina sunt, aut in eorum officio est Ecclesiastica jurisdictione.

Quæres tertio. Quotuplex est excommunicatio?

ꝛ. Duplex: major & minor. Colligitur ex *cap. si quem. 59. de Sentent. excomm.* Excommunicatio major dicitur, quæ administratione activâ & receptione passivâ Sacramentorum, Ecclesiæ suffragiis, & fidelium communione privat. Excommunicatio minor directè solum privat receptione passivâ Sacramentorum: & hæc est solum excommunicatio secundum quid. Incurri potest ob peccatum veniale, & facile à quolibet Sacerdote tolli potest. Excommunicatio absolutè prolata semper intelligenda est major; ut definitum est in *cit. cap. si quem.* Si quem sub hac forma verborum: illum excommunico, vel simili à Judice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantum minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione quæ à communione fidelium separat, esse ligatum. Quæ-

Quæres *quarto*. Quid ad hoc, ut excommunicatio valida sit, requiritur?

R. Requiritur, ut excommunicantis non sit impedita potestas: eò quod potestas impedita ita se habeat, ac si non esset. Ex quo sequitur.

1^{mo}. Invalidam esse excommunicationem latam à Prælato ebrio, mente capto aut non advertente, quid agat: quia ista impediunt jurisdictionis exercitium.

2^{do}. Inyalida est lata à Judice prius justè accusato. *Can. quoties, caus. 2. q. 6.* Lata contra eum, qui legitimè ante appellavit; cum per appellationem sit suspensa judicis à quo jurisdicatio. *cap. si Judice, 10. de Appellat. in 6.* Lata ab inferiori contra præceptum superioris irritantis. *Cap. quia plerique de offic. Ordin. in 6.* Lata à Vicario Episcopi dum Episcopus tenetur captivus. Cum in eò casu ad Capitulum devolvatur jurisdicatio, ac si sedes per mortem vacaret illius. *cap. si Episcopus, 3. de Suppl. negl. Pralator. in 6.* Demum lata ab excommunicato, aut publico Clerici percussore. *cap. ad probandum. 24. de Sentent. & re judicata.*

3^{io}. Invalida est excommunicatio lata à Prælato in propria causa ad puniendam culpam contra se commissam. *Can. inter querelas. 27. caus. 23. q. 4.* Si tamen Prælatus ad præcavenda sibi à subdito imminencia mala excommunicationem ferat, ea valida est. Tunc enim non tam per modum judicii, quàm per modum defensionis cuilibet licitè fertur. *cap. dilecto. 4. de Sentent. excomm.*

Quæres *quinto*. Qui sunt effectus excommunicationis majoris?

R. Primus effectus excommunicationis majoris est administrationis activæ Sacramentorum & Missæ celebrationis privatio. Colligitur ex *cap. Apostolica, & cap. si celebrat. de Cleric. excomm.* Huc facit *Canon. si Episcopus. 7. caus. 11. q. 3.* Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, sive Presbyter aut Diaconus à suo Episcopo, & post excommunicationem præsumpserit sive Episcopus ille, aut Presbyter, aut Diaconus facere oblationem, vel Matutinum aut Vespertinum officium quasi in officio suo agere sicut prius; non liceat ei in alio Concilio spem reconciliationis habere, sed nec ultra recolligi, in *cap. Latrores. 4. de Cleric. excommunicato.* Ab officio Sacerdotali deponi jubentur, qui divina officia ex in excommunicatione peragere præsumpserant.

2^{us}. Receptionis Sacramentorum privatio. Colligitur ex *cap. cum illorum, de Sentent. excomm. cap. illud. cap. si celebrat. de Cleric. excomm.* Quia rebellis & contumax Ecclesiæ præceptis meritò à participatione bonorum illius repellitur. Cum autem hæc materia gravis sit, excommunicatus Sacramenta recipiens extra casum necessitatis peccat mortaliter, quanquam Sacramenta validè, excepto Sacramento pœnitentiæ recipiantur. Quia qui sciens & volens petit absolvi non præmissâ absolutione ab excommunicatione, dispositionem ad valorem pœnitentiæ requisitam non habere convincitur.

3^{ius}. Est privatio suffragiorum Ecclesiæ. Colligitur ex *cap. à nobis. 28. cap. Sacris. 38. de Sentent. excomm.* Salus fide-

lium triplici subsidio in Ecclesia promoveri potest, *Primum* provenit à Christo, qui in Sacrificio Missæ mediante Sacerdote se Patri suo cœlesti offert. *Secundum* est ab Ecclesia, quæ mediantibus Ministris suis orationes publicas fundit, sacrificat, & satisfactionem ex thesauro Christi & Sanctorum dispensat. *Tertium* profuit ex operatione unius cujusque fidelis, ut est persona particularis. Ecclesia igitur ex his subsidiis excommunicatum non primo & tertio, sed secundo tantum privat: ideoque à Sacerdote Sacrificium Missæ quantum ad fructum Sacerdoti offerenti correspondentem excommunicato applicari, deinde pro illo in *Memento* orare potest; imò si etiam pro excommunicato existente in gratia Sacrificium nomine Christi offerret, illi quoad fructum ex opere operato proveniente prodesset.

4tus. Privatio communicationis cum aliis fidelibus in officiis divinis. Omnis enim Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur; scilicet quia extra Ecclesiam Diabolus est, in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. *Can. Omnis Christianus 32. caus. 11. q. 3.* Quapropter qui merito facinorum suorum ab Ecclesia pulsi sunt, si ab aliquo Episcopo, Presbytero, vel Clerico fuerint in communione suscepti, etiam ipse pari cum eis crimine teneatur obnoxius. *Can. qui merito. 29. loc. cit.* Idem dicitur *cap. significavit. 18. de Sentent. excomm.* Imò in *cap. alma Mater. eod. in 6.* Excommunicati ipsis etiam diebus, quibus admit-

tuntur Interdicti, ab officiis divinis excluduntur.

Variis autem modis communicatio ista in divinis fieri potest. Ut *1mò* quando ipse excommunicatus per se ipsum divina facit: & tunc alii fideles assistere nequeunt. *2dò.* Quando alii fideles divina faciunt, & tunc excommunicatus assistere non debet. *3tò.* Excommunicatus cum non excommunicato divinis assistere nequit, ac proinde Sacerdos, qui immemor excommunicationis Missam inchoavit, & ante inchoatam consecrationem excommunicationis recordatur, sacrificium relinquere tenetur, si absque scandalo & gravi infamia id fieri possit, ut docet Doctor Angelicus.

5tus. Privatio usus jurisdictionis ecclesiasticæ. Colligitur *ex cap. Romana. 1. de Offic. Vicarii.* Quia usus jurisdictionis Ecclesiasticæ præcipua communicatio cum fidelibus est: hæc autem communicatio prohibita esse non dubitatur.

6tus. Inhabilitas ad beneficia, officia & dignitates ecclesiasticas. *cap. postulastis. 7. de Cleric. excomm.* Ubi declaratur non solum excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non posse; sed etiam illi, qui scienter illa beneficia talibus contulerunt, condemnantur, ut tamdiu à beneficiorum collatione suspendantur, donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere præsumserunt. *cap. cum bona memoria. 8. de atar. & qualis. præsciend.* Quia enim excommunicato officium Ecclesiasticum exercere prohibitum est, beneficium quo-

quoque obtinere nequit; eo quod beneficium detur propter officium.

7^{timus}. Privatio fructuum & proventuum beneficiorum obtentorum, Quamvis enim excommunicatus ante excommunicationem obtento eo ipso jure non privetur; fructibus tamen beneficii obtenti privatur. Ut enim dicitur in *cap. Pastoralis*, §. *Verum*, 53. *de Appellat.* Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communicatio denegatur. Imò excommunicatus ipso beneficio privari potest, si in excommunicatione inordefcat, *cap. bona memoria*, *sup. cit.*

8^{vus}. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. *cap. Sacris*, 12. *de Sepult.* Ubi hæc datur ratio: Æquum est & Sacris Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis. Si excommunicatus ante mortem signa pœnitentiæ dederit, & à contumacia recesserit, potest, & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quod non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo: cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit. Sic ergo absolutus in loco Sacro & more fidelium tumulandus est, & si ante absolutionem tumulatus fuerit, exhumari debet, & quidem si impenitens in cœmeterio Ecclesiastico per aliquorum violentiam, ut contingit interdum, vel alio

casu tumulatus fuerit, si ab aliorum corporibus discerni possit, ex humari debet, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari. Quod si discerni non possit, non expedit, ut cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidellum: cum licet non obsit justis sepultura nulla vel vilis, impiis tamen celebris & speciosa non profit. *cit. cap. Sacris de Sepult.* Locus tamen sacer, qui per talem sepulturam pollutus fuit reconciliandus erit aspersione aquæ Solemniter benedictæ. Sicut in Dedicacionibus Ecclesiarum fieri consuevit. *cap. consulisti*, 7. *de Consecr. Eccles.*

9^{nus}. Privatio communicationis forensis, hoc est privatio omnis actûs pertinentis ad judicium: ideoque excommunicatus non potest esse iudex, arbiter, Actor, Advocatus, Testis, constat ex *cap. decernimus*, 8. *de Sentent. excomm.* in 6. Et exceptio majoris excommunicationis, in quacunque parte judiciorum opposita, lites differt, & repellit agentes: ut ex hoc magis censura Ecclesiastica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur. *cap. piâ consideratione*, 2. *de Except.* in 6. Unde si dictæ personæ interveniant, mortaliter peccant, & per exceptionem majoris excommunicationis repelli possunt. Qualiter & quando hæc exceptio opponenda, docet, & videri potest. *cit. cap. piâ consideratione.*

10^{mus}. Privatio communicationis

X x 3

poli-

politica & civilis. Excommunicatos quoscunque à Sacerdotibus nullus recipiat, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec ave eis dicat: quia quicumque in his aut aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem & ipse simili excommunicationi subjacebit. Ita Callistus Papa. in *Can. excommunicatos. 17. caus. 11. q. 3.* Idem dicitur in *cap. nuper. de Sentent. excomm.* Actiones hujus communionis hoc versu comprehenduntur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os* intelligitur osculum pacis, complexus, milio & receptio munerum, locutio tam secreta quam publica per verba, per literas, per signa, per internuntium.

Per *Orare* intelligitur quaelibet participatio cum excommunicato in Sacramentis, sacrificio divino, sacris officiis, precibus &c. Per *vale*, quaelibet honorifica saluatio, assurrectio &c. Demum per communionem & mensam significatur quaelibet Societas & communicatio in negotiis, habitatione, convictu, contractibus. Nihilominus contractus ab excommunicato initi validi sunt. Constat de matrimonio. *ex cap. significasti. de eo qui duxit. &c. cap. inter dilectos. de donation.*

Quæres *sexto*. An fideles cum nullo excommunicato communicare possint?

R. Distingendum esse inter excommunicatum vitandum & non vitandum, sive toleratum & non toleratum. Ex

constituit. Martini V. quæ incipit: *Ad evitanda scandala.* edita in *Concil. Constantiensi*, Anno 1414. tenentur fideles solum vitare & non communicare cum excommunicato denunciato, hoc est: proprio nomine expresso, & signis, quis sit, sufficienter declarantibus, & notorio Clerici percussore. Post hanc constitutionem quilibet cum quolibet excommunicato ante denuntiationem censuræ factam in Ecclesia vel loco publico juxta consuetudinem loci communicare potest; nisi sit notorius Clerici percussor. Ea autem percussio dicitur notoria, quæ coram majore parte populi vicini vel communitatis, quam ad minus decem personæ constituunt, commissa fuit. Si simul notoreitas Juris per confessionem in judicio vel per sententiam Judicis accedat; tunc censetur percussio nullâ tergiversatione celari, aut alio suffragio excusari posse: prout à constitutione ad vitandum talem percussorem illa exigitur.

Quæres *septimo*. Qualem communicantes cum excommunicato non tolerato pœnam incurrunt?

R. Communicantes cum excommunicato non tolerato excommunicationem solum minorem incurrunt extra casus sequentes:

Imus. Quando excommunicatio contra participantes lata est: quia tunc post trinam monitionem specialem, aut unam æquivalentem trinæ, communicans eandem incurrit excommunicationem. *Cap. quod in dubiis. 30. de Sentent. excommunicat. cap. Statuimus. 3. eod. in 6.*

2dus.

2^{us}. Quando excommunicatus est à Papa nominatim per sententiam particularem, tunc Clericus communicans in divinis admittendo excommunicationem spontè & liberè excommunicationem majorem Papæ reservatam incurrit. *cap. significavit. 18. de sentent. ex. com.*

3^{ius}. Quando quis excommunicato in crimine, ob quod excommunicatus fuit, communicavit, videlicet consilium, auxilium, favorem &c. præstando, ne excommunicatus denunciatus ab illo crimine desistat. *cap. si concubina. 55. de sentent. excom.*

Quæres octavò. In quibus casibus cum excommunicato denunciato communicatio licita est?

R. Casus illi comprehenduntur hoc versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necessè.

1. Per *utile* intelligitur utilitas spiritualis & temporalis tam ipsius excommunicati, quàm fidelis communicantis. Ideo potest excommunicatus dare & recipere consilium, eleëmolyñam, debitam solutionem &c.

2. Per *lex* matrimonialis intelligitur, ob quam coëjux à marito excommunicato debitum petere & reddere potest. Item communicare cum illo in mensa, gubernatione domûs, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis. *cap. inter alia. 21. de sentent. excom.*

3. Per *humile* excipiuntur omnes, qui jure subjectionis obedire tenentur: quales sunt filii, nepotes, pronepotes, affines, pupilli, & minores respectu tutorum, servi & ancillæ, & tota familia excommunicati.

4. *Res ignorata*. His vocibus excipiuntur laborantes ignorantia invincibili juris & facti: itud juxta quosdam etiam laborantes ignorantia vincibili; modò non sit crassa aut affectata.

5. Demum *necessè*. Per quod significatur necessitas, quæ excusat, sive sit ipsius excommunicati, sive aliorum, sive temporalis sive spiritualis sit. *cit. cap. inter alia.*

Quæres nonò. Quos effectus habet in excommunicatione majori perseverantia?

R. Primus effectus est suspicio de hæresi; si nempe excommunicatus per annum in excommunicatione specialiter lata ab homine animo obdurato inordescat, *Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.* quia talis de potestate Ecclesiæ malè sentire præsumitur. 2^{us} integra probatio delicti, ob quod excommunicatio lata est, si integro anno in excommunicatione perseverat. *can. quicumque. caus. 11. q. 3.* Illa enim contumacia per fictionem juris censetur confessio. 3^{ius} privatio beneficiorum per sententiam Judicis, si excommunicatus per triennium animo obdurato in excommunicatione persistat. *cit. cap. cum bona memoria. de atat. & qualit.*

Quæres decimò. An omnis actus jurisdictionis ab excommunicato tolerato exercitus sit licitus & validus?

R. Si excommunicatus toleratus ad fidelium requisitionem ut Judex vel Paterochus jurisdictionem exercet, & licitè & validè agit; econtra verò si irrequisitus exercent, actus quidem validus, (nisi fideles contra eum excipiant, & excom-

excommunicationis speciem objcientes eam authoremque illius intra octo dies manifestè probent) sed illicitus est. Probatum ex supra cit. constitut. Ad evitanda, in qua fit favor fidelibus, ut cum excommunicatis non denunciatis communicare possint: nullus tamen ipsis excommunicatis favor fit; ideoque si semetipsos ingerant, mortaliter peccant, quemvis actus in favorem fidelium validus; nisi excipiant. Juxta cap. exceptionem. 12. de except. & cap. piâ consideratione. 1. eod. in 6.

Quæres undecimò. Quis effectus excommunicationis minoris?

R. Hæc duplicem effectum habet. Proprius & directus est passivæ participationis Sacramentorum privatio. Constat ex cap. si celebrat. 10. de Cleric. excomm. cap. ff quem 59. de sentent. excomm. Effectus indirectus excommunicationis minoris est privatio electionis (idem est de præsentatione & collatione ad beneficia. Quia ut dicitur in cit. cap. si celebrat. si talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus.

Cum ergo remotus sit à susceptione Sacramentorum, consequenter à susceptione beneficiorum removetur; eo quod beneficium conferatur beneficiato, ut sacros Ordines suscipiat, Missam celebret &c. Unde tam eligentes, præsentantes, conferentes beneficium tali excommunicato, quam ipse excommunicatus illud acceptans graviter peccant, quamvis actus ipso jure non sit irritus,

sed per Superiorem, si scienter fuerit factus, irritandus. cit. cap. si celebrat. Porro licet talis excommunicatus celebrans Missam graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, Præterea peccat conferendo Ecclesiastica Sacramenta: sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non vidatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus; dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingererit, in quo casu anathemate est feriendus. cit. cap. si celebrat.

Quæres duodecimò. Quis ab excommunicatione minori absolvere potest?

R. Episcopus & quilibet Sacerdos proprius. Colligitur ex cap. nuper. 29. de sent. excomm. nomine proprii Sacerdotis quilibet habens jurisdictionem ordinariam vel delegatam intelligitur. Et generalis regula est, quod qui habet potestatem absolvendi à peccatis, propter quæ hæc excommunicatio incurritur, censendus sit etiam habere facultatem absolvendi à censura vel excommunicatione propter talia peccata incurta; cum absolutio ab excommunicatione absolutioni à peccatis præmittenda sit, & concessio uno concessum quoque censetur alterum, sine quo illud unum commodè præstari nequit. Sic etiam dum alicui dat Ecclesia facultatem absolvendi à peccatis mortalibus, dat consequenter facultatem absolvendi à censuris non relevatis, & dum dat facultatem

facultatem absolventi à peccatis reservatis, dat etiam facultatem à censuris reservatis. Cùm igitur excommunicatio minor quandoque ob peccatum veniale incurrat, habens potestatem ab illo veniali absolventi, à censura quoque annexa absolvere poterit.

§. Tertius.

D E

Suspensione.

Quæres primò. Quid Suspendio?
 R. Est Censura Ecclesiastica, quâ Clericus, ne functiones Ecclesiasticas exercent, impeditur. Per ultimas particulas ab aliis censuris differt: ut ab excommunicatione, quæ Sacramentorum administratione, non ut est exercitium quoddam muneris Ecclesiastici, sed ut est quædam cum fidelibus communicatio, privat: deinde ab excommunicatione minori, quæ non privat activâ administratione Sacramentorum: ab irregularitate, quæ non directè functionem Ordinis suscepti, sed ejus suspensionem impedit: demum ab aliis suspensionibus, ut à suspensione ab officio Advocacionis, Notarii &c. quæ sunt officia temporalia, & non Ecclesiastica.

Quæres secundò. Quotuplex Suspendio?
 R. Triplex: Suspendio ab officio. De qua in *cap. sanè quia. 9. de officio Judicis delegati.* & *cap. quia 2. eod. in 6.* Suspendio à beneficio. De qua in *cap. cum in cunctis. 7. cap. nihil est. 44. de elect.* Suspendio ab officio & beneficio. De qua in *Clement. Religiosi. 1. de decimis.*
 R. D. Schnorrenberg *Instit. J. Can.*

Suspendio absolutè lata suspensionem ab officio & beneficio simul comprehendit; quia non est ratio, ob quam potius pro suspensione ab officio, quàm à beneficio accipienda videatur.

Quæres tertio. Quisnam suspendi potest?

R. Omnes Clerici, quin & communitas Clericorum non solum quoad singulares personas, ut in *cap. quia sapè. 40. de elect. in 6.* sed etiam quatenus communitas est, hoc est: quatenus est unum corpus politicum, habens actiones proprias & officia & beneficia conferendi, sacros Ordines per suum Vicarium impertiendi &c. ab officio & beneficio suspendi potest. Ratio est: quia communitas talis capax est culpæ in actionibus, quas ut corpus unum exercet. Cui non obstat, quòd communitas talis excommunicari nequeat, juxta *cap. Romana. 5. de sentent. excomm. in 6.* Nam excommunicatio animam quoad bona interiora afficit, quæ ad bonum proprium animæ pertinent; & sic censura personalis est: suspensio autem his bonis non privat, sed ministeriis ecclesiasticis.

Y y

siasti-

siasticis, quæ à communitate exerceri possunt. Porro suspensio simpliciter & absolutè lata contra Communitatem non extenditur distributivè ad singulas personas, quantum ad proprias & particulares earum actiones, sed ligat solùm ipsam Communitatem, ut unum corpus politicum constituit; Capitulum enim non singulas personas de Capitulo seorsim, sed ipsam universitatem significat.

Quæres quartò. Quis effectus suspensionis ab officio?

R. Suspensio ab officio vel est simpliciter lata, vel tantùm determinatè ad aliquam materiam. Primò. Si lata simpliciter & absolutè, quantum est de se omni usu Ordinis & Jurisdictionis, ac alterius simplicis administrationis ecclesiasticæ privat: ideoque suspensio absolutè ab officio etiam tolerato, sive non denunciato, nec validè nec licitè beneficium conferri potest: non licitè; quia beneficium datur propter officium. *cap. fin. de rescript. in 6.* non validè; quia in *cap. cum bona memoria. 8. de atat. & qualit. profic.* ait Pontifex, quòd suspensus non liceat retinere beneficia illa, quæ in suspensione adepti sunt, sed jubet, ut eis quamprimùm spolientur. Si suspensio ab officio sit determinata ad certam materiam v. g. ordinis aut jurisdictionis, extra illam extendi non debet; pœnæ enim ultra verborum proprietatem extendendæ non sunt. Ideo imprimis suspensus ab Ordine absolutè usu cujuscunque Ordinis, non tamen jurisdictionis is exercitio privatus est; quia inter Ordinem & jurisdictionem necessaria connexio non est. Suspensus ab

Ordine aliquo speciali directè, ut ab officio Sacerdotali, indirectè suspensus est ab illo Ordine, qui ad usum officii Sacerdotalis requiritur, ut ab Ordine Subdiaconatus vel Diaconatus in Missa exercendo. Suspensus ab Ordine inferiori ab Ordine superiori suspensus non est, nec suspensus à collatione Ordinis inferioris suspensus est. Colligitur ex *cap. fin. de temp. ordinat. in 6.* Item suspensus ab exercitio jurisdictionis vel administrationis in spiritualibus & temporalibus non est suspensus ab usu Ordinum. Item suspensus ab usu jurisdictionis determinatæ non est suspensus ratione aliorum actuum.

Quæres quintò. Quis effectus suspensionis à beneficio?

R. Privatio omnium fructuum beneficii, retento jure radicali eos percipiendi. Colligitur ex *cap. cupientes. 16. de elect. in 6.* Hæc tamen suspensio beneficii usum non impedit, sed suspensus oneribus beneficii satisfacere, frequentando chorum, celebrando &c. obligatur; cum enim suspensio sit pœna, ab onere relevare non debet. Nomine autem fructuum intelliguntur decimæ, pensiones ædium locatarum, & reliqua emolumenta, quæ ratione beneficii obveniunt, ut distributiones quotidiana, administratio bonorum Ecclesiæ; unde suspensus à beneficio bona ejus aut fructus per se vel alium elocare aut vendere nequit; imò nec potest beneficium permutare aut resignare in favorem; quia permutatio & resignatio est quedam beneficii administratio.

Quæ-

Quæres sextò. Quis effectus suspensionis late sub disjunctione ab officio vel beneficio?

3. Talem suspensionem nullum effectum de jure producere: quia juxta *L. 3. & 4. de sentent. qua sine cert. quant. profert.* sententia incerta & indeterminata est nulla, hæc autem suspensio sub disjunctione est incerta & indeterminata; ergo nullam esse oportet.

Quæres septimò. Violator suspensionis incurset quas pœnas contrahit?

3. primò. Suspensus ab officio vel beneficio transgrediens suspensionem ex genere suo peccat mortaliter: quia in re gravi Ecclesiæ præceptum contemnit. Si tamen suspensus ab officio non denunciatus officium ad requisitionem fidelium exerceat, juxta sæpe cit. *constitut. ad evitanda.* non peccat. 2dò. Suspensus ab Ordine sacro transgrediens suspensionem exercendo solemniter exercitium Ordinis sacri irregularitatem incurrit. Colligitur ex *cap. cum aterni. 1. de sentent. & re judic. in 6.* & *cap. medicinalis. 1. de sentent. excomm. in 6.* Nulla alia suspensionis violatio irregularitatem inducit: ideoque si suspensus à jurisdictione beneficia conferat, Prælatum eligat, sententiam proferat, non fit irregularis. Item si suspensus à beneficio fructus percipiat, beneficium administret, non fit irregularis. Privatur tamen ipso jure beneficiorum, ut innuit *cap. Statuimus. 1. de elect. in 6.* Et, si fit suspensus denunciatus, jurisdictionem invalidè exercet, actusque ab eo facti nullam obtinent roboris firmitatem.

Quæres octavò. Qualiter effectus suspensionis suspenditur.

3. primò. Ante incursum suspensionem ejusdem effectus per appellationem legitime interpositam suspendi potest. *cap. Pastoralis. de appellat.* Et ratio est, quia natura appellationis legitime est ligare potestatem Judicis à quo, ne pendente causâ ulterius procedere possit. *cap. si à Judice. 10. de appell. in 6.*

2dò. Appellatio post incursum suspensionem non habet effectum suspensivum in suspensione ab officio & ingressu Ecclesiæ. *cap. Is cui. 20. de sentent. excomm. in 6.* ubi solum de suspensione ab officio & ingressu Ecclesiæ dicitur, quod per appellationem sequentem minimè suspendatur. Ex quo inferunt alii suspensionem ab officio suspendi per appellationem, per regulam generalem: Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Quæres nonò. Quomodo tollitur suspensio?

3. Variis modis pro diversitate suspensionum. Nam primò suspensio lata pro determinato tempore, vel sub conditione, vel conditionis cessatione lapsò tempore, & impletâ vel cessante conditione sine absolute tollitur. Ratio est: quia talis suspensio dependenter ab intentione ferentis durat. *Gloss. in cap. quia sæpe. 40. de elect. in 6.*

2dò. Suspensio lata sub expressa conditione, ut in perpetuum duret, ab inferiori tolli nequit; inferior enim Superioris legem relaxare non potest.

3tidò. Suspensio lata à Jure absolute ad corrigendam contumaciam cessante

contumaciâ per absolutionem ab Episcopo vel ejus Vicario tolli potest: nisi Pontifex absolutionem sibi reservaverit. Pater ex *cap. nuper. de sentent. excom. & cap. ex literis. de constitut.*

4^{to}. Suspendio specialiter ab homine lata per illum solum vel ejus successorem in dignitate relaxari potest; vel etiam per ejus Superiorem, si inferior sententiam absque legitimâ solemnitate tulerit. *cap. cum medicinalis. de sentent. excomm. in 6.* vel si per appellationem causa ad ipsum devolvatur. *cap. per tuas. 40. de sentent. excomm. cap. Venerabilibus. 7. eod. in 6.*

5^{to}. Quamvis nulla forma absolutionis ad valorem sit determinata; hæc tamen est usitator: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni Ordinis, officio vel beneficio, in nomine Patris &c.* si dubia suspensio, additur conditio: *si tenearis vinculo suspensionis.*

Quæres decimò. Quid est depositio?

3^o. Est pœna Ecclesiastica privans Clericum officio & beneficio in perpetuum ac irremissibiliter. Differt à simplici suspensione ab officio vel beneficio, quod illa jure ordinario non sit irremissibilis; à suspensione, quæ fertur in perpetuum, solo differt nomine.

Quæres undecimò. Quid est degradatio?

3^o. Est pœna Ecclesiastica, per quam Clericus non solum fructibus, sed etiam titulo beneficii privatur. *illor. in 10.*

Quæres duodecimò. Quotuplex degradatio?

3^o. Verbalis & realis. Verbalis est pœna ecclesiastica, quâ Clericus omni beneficio ac officio clericali, retento solo Privilegio Canonis & fori in perpetuum privatur. Differt à depositione, quod depositio ipso facto non privet titulo, quamvis depositus per sententiam privandus sit, eo quod æquum sit, ut privatus in perpetuum officio, etiam beneficio, quod datur propter officium, privetur. Degradatio realis est, quando Clericus verbaliter degradatus certâ solemnitate adhibita omnibus vestibus & insignibus Clericalibus, omnique Privilegio Clericali exspoliatur. Hæc sunt differentie inter degradationem realem & verbalem, de qua jura loquuntur, quoties exprimunt degradationem sine addito. 1^o. Quod degradatio verbalis sit jurisdictionis actus; est enim sententia contra reum lata: ac proinde ab Episcopo suspenso ferti nequit, benè tamen à nondum consecrato, aut à Capitulo vel Vicario ejus sede vacante. Degradatio realis non solum est actus jurisdictionis, sed etiam Ordinis ex Ecclesiæ institutione consecrationi Episcopali annexus, qui non nisi ab Episcopo Pontificalibus induto exerceri potest.

2^o. Degradatio verbalis ipso facto non privat Canonis & fori Privilegio *cap. cum non ab homine. 10. de judiciis.* Quamvis persistens in contumacia privandus sit. Degradatio realis privat utroque, ita ut Clericus à potestate seculari capi, incarcerari, & ut Laicus puniri possit.

§. Quartus.

D E

Interdicto.

Quæres primo. Quid est interdictum?

R. Est censure Ecclesiastica prohibens usum divinorum, intellige tam activum quam passivum: non quatenus à potestate spirituali procedunt; sed quatenus sunt bona quædam spiritualia à fidelibus communicanda. Per quod differt à suspensione, quæ privat usu activo divinorum, prout est usus potestatis spiritualis, & fertur solum in Clericos: interdictum autem etiam Laicos afficit. Ab excommunicatione differt, quod illa fideles removeat à Sacramentis, officiis divinis, suffragiis Ecclesiæ &c. quatenus sunt aliqua bona, in quibus cum cæteris fidelibus fit communicatio: interdictum verò solum removeat à Sacramentis & officiis divinis, quatenus bona aliqua sunt à fidelibus habenda.

Quæres secundo. Quotplex interdictum?

R. 1mo. Dividitur in purè personale, locale, & mixtum. Colligitur ex *cap. presenti. 10. cap. si Sententia. 16. cap. si civitas. 17. de Sentent. excomm. in 6.* Interdictum personale est, quod personas immediatè afficit, illatque concomitatur, ubicunque locorum existant. Locale est, quod immediatè locum respicit, prohibens, ne in tali loco sive

ab incolis sive ab extraneis celebretur; aut Missa audiat. Interdictum mixtum est, quando & locus & personæ simul interdiciuntur.

2do. Interdictum tam locale, quam personale in generale & speciale dividitur. Generale locale est, quod plura sub se continet loca, ut quod fertur in Regnum, Provinciam, Diœcesin, Civitatem. Speciale locale est, quod in locum determinatum fertur: ut si una vel plures alicujus civitatis Ecclesiæ sub interdicto ponantur. Et tunc in aliis Ecclesiis aut Oratoriis privatis divina officia interdicta non sunt. Interdictum personale generale est, quod in corpus quoddam politicum potens propriis gubernari Superioribus fertur, ut quando incolæ alicujus Provinciæ, Civitatis, Collegii vel Parochiæ interdiciuntur. Speciale est, quod in personas particulares fertur vel expresso proprio nomine, vel sub nomine generali personæ certum delictum committentes interdiciuntur.

Quæres tertio. Quænam loca sub interdicto generali comprehenduntur?

R. primo. Sub interdicto generali Civitatis non tantum locus directè interdictus, sed etiam illius suburbia & ædificia continentia comprehenduntur.

cap. si civitas. 17. de sentent. excomm. in 6. Per suburbia intelliguntur ædificia extra muros civitatis interdictæ contigua: per ædificia continentia significantur ædificia à muris civitatis quidem separata, ita tamen propinqua, ut incolæ civitatis pro audiendis Divinis illuc se facile conferre possint. Et in his, ne vilipendi valeat sententia interdicti, expedit interpretationem fieri latiore: inquit Pontifex *cap. cit. 2do.* Interdictâ Civitate vel Diœcesis interdicta sunt etiam Ecclesia Cathedralis, & omnia loca Civitatis vel Diœcesis. *3to.* Interdictâ aliquâ Ecclesiâ specialiter sunt etiam sub illius interdicto ejus Capellæ & Cœmeterium contiguum, non tamen è contra; quia accessorium sequitur principale, & pars totum: Capellæ autem & cœmeteria sunt accessoria Ecclesiæ. *cit. cap. si Civitas. 4to.* Si interdictum hoc modo feratur: Interdicimus omnes terras illius Domini; in quas habet dominium; interdicta sunt omnia loca; in quæ actu, dum fertur interdicti sententia, plenum habet dominium, non autem quorum est Usufructuarius, Vasallus, Emphyteuta, vel Hypothecarius: nisi in sententia, quæ habet & possidet, adderetur.

Quæres *quarto.* Quæ personæ sub interdicto comprehendantur?

R. primo. Quando interdictum personale est generale, omnes personæ, quæ sunt membra illius communitalis, censentur interdictæ, sive præsentis, sive absentes, sive nocentes, sive innocentes sint. *cap. si sententia. de sentent. excomm. in 6. 2do.* Interdicto populo non interdicitur Clerus, nec e contra. *cit. tap. si sententia.*

nomine enim populi soli sæculares intelliguntur, & nomine Cleri non veniunt Laici. *3to.* Interdicto Clero non comprehenduntur Religiosi; quia licet sub nomine Cleri intelligantur Religiosi in favorabilibus, non tamen in pœnabilibus & odiosis. *4to.* Interdicto generali personali eximuntur imò Episcopi, nisi specialiter exprimantur. *cap. quia periculosum. 4. de sentent. excomm. in 6.* Deinde infantes nondum doli capaces. *3to* illi, qui à populo interdicto recedunt alibi fixuri domicilium. *4to* ceteri, ut Scholares, Mercatores, qui etiam legibus populi astringantur, non tamen illis, quæ singulares personas, ut sunt pars illius populi, afficiunt.

Quæres *quinto.* Qui sunt effectus interdicti?

R. Quatuor. 1. est privatio activa & passiva Sacramentorum. 2. privatio activa divinorum officiorum. 3. privatio activa & passiva sepulturæ ecclesiasticæ. 4. privatio ingressus Ecclesiæ. Hi effectus cuilibet interdicto annexi non sunt, sed pro voluntate imponentis plures vel pauciores effectus interdictum comprehendere potest. *arg. cap. Non est vobis. 11. de Sponsal.*

Quæres *sexto.* Quibus Sacramentis privat interdictum?

R. Omnibus, exceptis illis, quæ in jure exprimuntur. *cap. Responso. 43. de sentent. excomm.* Tria autem in jure excepta sunt Sacramenta, videlicet: Baptismus, Confirmatio, & Penitentia. *cap. Alma mater. 14. de sentent. excomm. in 6. cit. cap. Responso.* Unde

Primo.

Primò. Baptismus tempore Interdicti, etiam solemniter in Ecclesia januis apertis, propter ejus necessitatem administrari potest: persona etiam generaliter interdicta hujusmodi solemnem baptismum celebrare potest: interdictum enim generale personale fortius, quam locale, non ligat. Persona tamen specialiter interdicta, & propter quam interdictum generale positum est, extracausam necessitatis, etiam privatim baptizare nequit.

2dò. Quod dictum est de Pabismo, etiam in Sacramento Confirmationis tenet, quod quamvis non sit necessarium, est tamen Baptismo accessorium, & quasi complementum illius. *cap. quoniam. 19. de sentent. excom. in 6.*

3tò. Idem de Sacramento Pœnitentiæ ob magnam illius necessitatem tenendum est: cum homines faciles sint ad lapsum, difficiles ad contritionem perfectam. Excipiuntur illi, quorum dolo, culpâ, fraude latum est interdictum, vel qui consilium, auxilium, aut favorem præstiterunt ad delictum: hi enim, nisi prius satisfactionem præstent Ecclesiæ, nequaquam absolvendi sunt.

4tò. Matrimonium quoque tempore interdicti à personis interdictis contrahi potest, colligitur ex *cap. Capellanus. 4. de feriis.* ubi dicitur matrimonium posse quocunque tempore contrahi. Et ratio est: quia matrimonium per se primò consideratum contractus est, & ratio Sacramenti contractui accessoria.

5tò. Sacramentum Eucharistiæ tempore interdicti ipsius interdictis etiam infirmis extra mortis periculum constitutis

administrari non potest, uti neque Sacramentum extremæ Unctionis, nec Sacramentum Ordinis. Ratio est; quia hæc Sacramenta nec necessitatis, nec complementum alicujus necessarii ad salutem sunt. Hoc autem advertendum, quòd Eucharistia tempore interdicti moribundis concedatur, non tamen extrema Unctio. Cujus ratio est: quòd receptio Eucharistiæ in periculo vel articulo mortis jure divino præcepta sit, non tamen extrema Unctio: & dum infirmus inungitur, Sacramentum conficitur, non autem, quando Eucharistia ministratur.

Quæres septimò. Qualiter divinis officii interdictum privat?

Re. primò. In privatione divinatorum officiorum intelliguntur omnia ista exercitia, quæ ex intentione Christi & Ecclesiæ à solis Clericis publicè exercentur: ut sunt Sacrificium Missæ, recitatio Horarum Canonicarum, benedictio solemnis nuptiarum, fontis baptismalis, Olei sacri, Chrytmatis &c.

2dò. De jure antiquo in loco interdicto & personis sive generaliter sive specialiter interdictis omnia officia divina prohibita erant. *cap. Permittimus. 57. de sentent. excomm. cap. si sentent. 14. eod. in 6.*

3tò. Modò per *cap. Alma mater. de sentent. excomm. in 6.* tempore interdicti generalis celebrari possunt Sacrificium Missæ & cætera officia divina servatis his conditionibus: 1. si fiat januis clausis. 2. submissâ voce 3. exclusis excommunicatis & specialiter interdictis. 4. non pulsatis campanis. Ratio hujus

mitigationis hæc datur: Quia ex distributione hujusmodi Statutorum exerescit inde-
votio populi, pullulant hereses, & infinita
animarum pericula insurgunt, ac Ecclesiis
sine culpa earum debita obsequia subtra-
hantur.

4to. Post cap. Alma mater. soli Cle-
rici, quo nomine intelliguntur omnes,
qui gaudent privilegio fori & canonis
sive sæculares sive Regulares, sive fœ-
minæ sive viri; omnes enim sunt Cle-
rici in favorabilibus; soli, inquam, Cle-
rici in Ecclesiis autoritate Episcopi ad
Divina deputatis Divina exercere & iis-
dem interesse possunt, non autem Laici,
nisi in sequentibus casibus: 1. Si a-
mentes & pueri, quia hi moraliter non
interfunt. 2. Si Sacerdos celebrans
non nisi ministrum laicum habeat: con-
cesso enim privilegio censentur conces-
sa, quæ ad usum ejus sunt necessaria.
3. Si privilegium Laici habeant. Talia
privilegia sunt: 1. Omnes Regulares
in Ecclesiis suis & Monasteriis non so-
lum in quatuor primoribus Solemnita-
tibus, sed etiam in Festis suorum San-
ctorum, Patroni Ecclesiæ, Sanctissimæ
Trinitatis, S. Joannis Baptistæ, S. Marci
& Lucæ, & omnium Sanctorum, & in
commemoratione omnium Fidelium de-
functorum, quamdiu Missa & Processio
durat, interdictum suspendere possunt.
Deinde iidem Religiosi singulis diebus
famulos suos, Procuratores & Mona-
sterii Officiales ad Divina admittere pos-
sunt, quamvis multi hæc privilegia om-
nia à Trid. sess. 25. cap. 12. de Regular.
sublata esse sustineant.

Quæres octavo. Quomodo interdi-
dictum privat sepulturâ Ecclesiasticâ?

R. Tempore interdicti nemo in loco
interdicto, in Ecclesia, cœmeterio, aut
aut alio quolibet loco ecclesiasticæ se-
pulturæ per benedictionem aut assigna-
tionem Episcopi deputato sepeliri po-
test, sive tale interdictum sit generale,
ut habetur in cap. quod in te. ii. de penit.
& remiss. sive sit speciale, innuitur in cap.
si civitas. 17. de sentent. excom. in 6. Ex
gratia tamen conceditur Clericis, ut de-
cedentes in cœmeterio Ecclesiæ sine
campanarum pulsatione, cessantibus so-
lemnitatibus omnibus cum silentio tu-
mulentur, si tamen interdictum serva-
verint. cit. cap. quod in te. vel interdicto
causam non dederint, nec specialiter in-
terdicti denunciati fuerint.

Quæres nono. Quomodo interdictum
privat ingressu Ecclesiæ?

R. Si in sententia interdicti hoc spe-
cialiter exprimitur, interdictus ingressu
Ecclesiæ privat. cap. is cui. de sentent.
excom. in 6. Et taliter interdictus pri-
vatur imprimis exercitio Ordinis facti
in Ecclesia, deinde sepulturâ ecclesiasticâ
in illa ejusque cœmeterio, demum ab
auditione divinorum officiorum in ea-
dem Ecclesia excluditur. Sic tamen in-
terdictus in cœmeterio divina celebrare
& audire potest, quamvis non sepeliri:
Ecclesiam quoque eo tempore, quo di-
vina non celebrantur, ingredi, & ibidem
orare valet. Templum enim principaliter
deputata sunt, ut in iis sacra officia
solemniter peragantur, & populus ad
ea audienda congregetur: ideo qui in-
greditur, quando nec sacra peragantur,
nec ea audire potest, templum formaliter
ingredi haud dicendus est.

Quæ-

Quæres decimò. Quantum est peccatum interdicti violatio?

R. Tam Clericus quàm Laicus interdictum violans peccat mortaliter, quia præceptum Ecclesiæ in re gravi transgreditur. Clerici autem tam sæculares quàm Regulares specialiter interdicti celebrantes, vel quemcumque actum Ordinis sacri in loco interdicto exercentes irregulares efficiuntur. *cap. medicinalis. cap. is cui, de sentent. excomm. in 6.* quam pœnam etiam incurrunt, si in loco interdicto non servatis conditionibus *cap. alma mater.* eos celebrare contigerit: Si in loco non interdicto Clericus non interdictus Laicum interdictum ad divina officia admittat, non fit irregularis, sed ipso facto ab ingressu est interdictus, donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserit, satisfecerit competenter. *cap. Episcoporum. de sent. excomm. in 6.* Præterea Clerici violantes interdictum fiunt inhabiles ad votum activum & passivum in electionibus. *cap. ad hæc. 1. de postulat.* Religiosi demum excommunicationem præterea incurrunt per *Clement. ex frequentibus. 1. de sent. excomm.*

Quæres undecimò. Quomodo tollitur interdictum?

R. primò. Interdictum appositum tempore limitato, vel sub æliqua conditione, tempore finito & conditione adimpletâ cessat; si absque limitatione in puram pœnam appositum sit, vel ante tempus finitum vel conditionis adimplerionem, per absolutionem aut dispensationem tollitur. Hanc autem præ-

R. D. Schnorrenberg *Instit. J. Can.*

stare nequit alius, quàm is, qui interdictum posuit, aut Successor vel Superior illius. Ex facultate *Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* potest Episcopus personali interdicto absolvere, si delictum, ob quod positum fuit, occultum sit.

2dò. Destructo interdicti subjecto ipsum interdictum etiam absque aliâ absolutione destruitur; uti destructâ Ecclesiâ interdictâ cessat interdictum.

3tò. Interdictum locale ob delictum Domini positum solâ alienatione loci illius non tollitur. Ratio est; quia tale interdictum onus est loco inhærens, & cum ipso loco ad quemcumque transiens. *arg. cap. Pastoralis. 28. de decimis.*

4tò. Interdictum deambulatorium, quando quicumque locus interdicatur, ubi talis persona sedem fixerit, cujus exemplum est in *cap. non est vobis. 11. de Sponsal* eo ipso tollitur, quo persona illa locum mutat, sine ulla alia relaxatione; sicut econtra ille alius locus, ad quem transit, sine nova sententia incipit esse interdictus.

5tò. Interdictum in favorem alicujus latum, si ab illo non observetur, eo ipso sublatum censetur; non autem, si ille, ob cujus delictum latum est, interdictum non servet. *cap. petistis. 20. de privileg.*

6tò. Demum Parochus vel alius Confessarius tollere nequit interdictum locale, sive generale, sive speciale: nec interdictum personale generale, benè tamen personale particulare non reservatum, sive à jure sive ab homine latum, servatis conditionibus requisitis

Z z

in

In cap. *Alma mater. de sentent. excom. in 6.*
 Cùm enim hoc interdictum ulum Sa-
 cramenti Pœnitentiæ impediatur, ejus
 absolutio absolutionem à peccatis præ-
 cedere debet; ideoque ei commissa
 censetur, qui sacramentaliter à peccatis
 absolvere potest; sicut eidem ab ex-
 communicatione non reservata absolu-
 tio à Jure committitur.

Quæres duodecimò. Quid est cessatio
 à Divinis?

R. Est prohibitio ecclesiastica Cleri-
 cis imposta ab officiis divinis in certo
 loco abstinendi. Quæ prohibitio etsi ob
 gravissimam alicujus culpam fiat; cen-
 sura tamen non est; sed quædam divi-
 norum Officiorum negatio, tam in-
 quàm nocentes afficiens, ab Ecclesia in
 signum doloris ob gravissimam Honori
 Divino vel Ecclesiæ illatam injuriam
 sub præcepto Clericis imposta, ut hoc
 modo delinquens ab injuria desistere,
 & satisfactionem præstare teneatur.
 Colligitur ex *Clement. ex frequentibus.*

1. de sent. excom. Quamvis autem cessa-
 tio à Divinis eisdem ferè effectus ha-
 beat, quos habet interdictum, ut pri-
 vationem officiorum divinatorum, Sa-
 cramentorum non necessariorum, & ec-
 clesiasticæ sepulturæ; ab eo tamen in
 sequentibus. *Primò.* Interdictum lo-
 cale semper afficit aliquam personam
 determinatam, eam videlicet, ob cujus
 culpam positum est: cessatio autem nul-
 lam personam determinatam afficit, sed
 omnes à Divinis in illo loco, in quo
 fertur, æqualiter arcetur. 2. Ob vio-
 lationem cessationis à Divinis per exer-
 citium Ordinis sacri nulla irregularitas,
 sicuti violatione interdicti incurritur.
 3. Cessatio non est censura, cùm inter
 censuras in cap. *Quærenti. 20. de V. S.* non
 numeretur. 4. Privilegia tempore in-
 terdicti concessa non sunt extendenda
 ad Cessationem. 5. Cessatio nunquam
 ipso jure, ut interdictum, imponi-
 tur.

S. Ultimus.

D E

Irregularitate.

Quæres primò. Quid est Irregula-
 ritas?

R. Est impedimentum Canonicum
 directè & per se Ordinum susceptio-
 nem, secundariò verò illorum exerci-
 tium impediens. Colligitur ex cap. *Sig-
 nificasti. 16. de homicid.* Irregularitas non

est censura, sed tantùm canonicum im-
 pedimentum: absolutè enim loquendo
 pœna non est; quamvis aliquando ut
 pœna ob delictum incurratur: nec me-
 dicinalis pœna est, quæ recedente con-
 tumaciâ tollenda est; sed est de se per-
 petua.

Quæ-

Quæres 2d. Quotuplex Irregularitas ?

re. primò, Irregularitas alia est, quæ ex delicto vel defectu culpabili; alia, quæ ex defectu non culpabili ortum habet. 2dò. Alia totalis, alia partialis est. Totalis susceptione quorumcunque Ordinum privat: partialis susceptorum Ordinum usu vel in toto, vel in parte privat. Sic homicidium ab Ordinato commissum privat illum susceptione Ordinum nondum susceptorum, & omni usu Ordinis jam suscepti. Defectus verò manûs vel oculi illorum Ordinum usum solùm impedit, qui cum tali defectu sunt incompatibiles. 3tid. Irregularitas alia perpetua, alia temporalis est: perpetuâ solâ dispensatione tollitur: temporalis lapsu temporis cessat, qualis est irregularitas ex defectu ætatis orta, quæ adeptâ legitimâ ætate per se cessat.

Quæres tertio. Quæ causa efficiens irregularitatis ?

re. Solus summus Pontifex irregularitatem ferre potest. Ratio est; quia irregularitas non ad delicta punienda, sed ad vitandam indecentiam per se inducitur; hæc autem in Ecclesia oriretur, si irregularis ad statum ecclesiasticum & Ordines assumeretur: statuere verò ea & decernere, quæ ad universalem Ecclesiam spectant, solius Summi Pontificis esse dignoscitur.

Quæres quarto. Quodnam subjectum irregularitatis ?

re. Omnis ille, qui Sacramenti Ordinis capax est. Omnis igitur & solus homo masculus, baptizatus, excepto

Summo Pontifice, fieri potest irregularis.

Dicitur 1. *Baptizatus*. Quia etsi non baptizatus Ordinis suscipiendi vel exercendi, uti & fœmina incapax sit; hæc tamen incapacitas non canonici, sed divini Juris est, colligitur ex *cap. si quis Presbyter.* & *cap. Veniens.* 3. *de Presbytero non baptizato*. Cui non obstat, quòd is, qui ante baptismum duplex matrimonium contraxit, baptismo suscepto sit irregularis; non enim sit irregularis ob ante baptismum contractam irregularitatem; sed suscepto baptismo irregularis est ob indecentiam ex duplici matrimonio relictam, post baptismum perseverantem.

Dicitur 2dò: *Excepto Summo Pontifice*. Hic siquidem Legibus canonicis quoad vim coactivam minimè subditur: ideoque si de facto bigamus, illegitimus, aut homicida in Summum Pontificem eligeretur; quamvis electores graviter delinquerent, personam indignam eligendo, electio nihilominus valida, & propter commune bonum & ad vitandum schisma firma foret. Itaque factâ irregularis electione ab electo tollitur irregularitas. Porrò idem homo plures irregularitates contrahere potest: quia multiplicatis causis effectus multiplicantur; unde multiplicatâ causâ irregularitatis, sive secundum speciem, sive secundum numerum in eodem homine etiam irregularitates multiplicantur: quantumvis enim privatio totalis ex parte formæ, quam tollit, majus & minus non suscipiat, ex parte tamen causæ majus & minus suscipit, ita ut propter

plures causas expellentes formam fiat major privatio.

Quæres *quintò*. Qui effectus irregularitatis?

1^{us}. Est recipiendi Ordinis privatio. Licet autem prima tonsura juxta Theologos Ordo non sit; quia tamen ad Ordines dispositio est, & hominem in gradu Clericali constituit, à quo Ecclesia per irregularitatem excludere intendit, mortaliter peccant tam ille, qui irregulari primam tonsuram confert, quàm irregularis primam tonsuram suscipiens. Ea tamen sic collata & suscepta valida est.

2^{us}. Illius Ordinis, in quo Clericus est constitutus privatio. Constat ex *cap. fin. de temp. Ordinat.* & *cap. inquisitionis.*

2¹. *de accusat.* Mortaliter ergo irregularis peccat, si actum Ordinis Sacri exerceat; novam tamen irregularitatem, uti in censuris, nec aliam pœnam incurrit: cum nullam in jure expressam inveniamus.

3^{ius}. Ad beneficia obtinenda incapacitas. *cap. Henricus. 2. de Cleric. pugnans. in duello. Trid. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* Et quidem si irregularitas absoluta & totalis est, irregularem de statu & ordine Clericali dejicit, ac iis omnibus privat, quæ Clericalem Ordinem requirunt. Dixi: *absoluta & totalis*. Quia si irregularitas partialis est, ex defectu non culpabili ordinato superveniens (cujus exemplum est in *cap. Presbyterum. 2. de Cleric. aegrotante.*) validè & licitè tali beneficium usum repugnantem defectui non requirens conferri potest. An collatio beneficii irregulari facta ipso jure

nulla sit, gravis est quæstio: probabile est esse non ipso jure invalidam, sed irritandam.

4^{us}. Beneficiorum ante obtentorum privatio. Est autem irregularis ex delicto per sententiam Judicis beneficiis obtentis privandus. Probatum ex *cap. ex literis. 10. de excess. Pralat.* Ubi Episcopus propter homicidium irregularis moneatur, ut Episcopatu cedat, & si non cesserit, privetur. in *cap. Clericis. 5. ne Clerici vel Monachi.* de irregulari dicitur; *Honore privetur & loco.* Quæ formalia non latam sententiam sed ferendam significare videntur.

Quæres *sextò*. Quænam ex delicto oriuntur irregularitates?

1^{us}. Ex homicidio injusto directè voluntario maxima oritur irregularitas. Constat ex plurimis canonibus. *Dist. 50. & cap. 1. de Homicid. & Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 7.* Ut autem homicidium directè sit voluntarium duo requiruntur: 1. Ut per directam, expressam, & spontaneam occidendi voluntatem committatur, *cap. sicut dignum. 6. de homicid. & Trident. loc. cit.* 2. Ut causa cum morte inseparabiliter conjuncta directè intendatur, ut si propinetur venenum. Hanc irregularitatem quoque mandantes & consulescentes mortem ac cooperantes ad illam incurrunt, *Can. si quis viduam. 8. dist. 50. cap. sicut dignum. cit. cap. fin. de homicid. in 6.* 3. Fit irregularis ex mutilatione injusta directè volita: ad quam mutilatio alicujus membri requiritur: membrum autem illud pars corporis esse debet, quæ actionem ab aliis distinctam habeat, qualis est auris,

auris, pes, manus &c. Colligitur ex *cit. cap. Presbyt. de Cleric. Egrotante*. Ubi Sacerdos carens duobus digitis cum dimidietate palmæ non mutilatus aut truncatus, sed debilitatus & deformatus dicitur. 4. Qui in excommunicatione majore, suspensione, aut interdicto actum majoris Ordinis exercet solemniter, irregularis est, quamvis denunciatus non sit. Constat ex *Can. si quis Episcopus. caus. 11. q. 3. & cap. Apostolica. 9. de Cleric. excomm.* 5. Clericus scienter & solemniter ministrans in Ordine Sacro, quem non suscepit, sit irregularis, liquet ex *cap. 1. & 2. de Cleric. non Ordinatur ministrante*. 6. Omnes infames irregulares sunt, sive infamia juris sive facti fuerit. Patet ex *Can. testes. caus. 2. q. 7. Can. infames. caus. 6. q. 1.* Et ratio sumitur ex regula Juris: *Infamibus dignitatum porta patere non debent*. Infamia est publica nominis boni rectæque existimationis diminutio. Alia est juris alia facti: infamia facti ex ipso facto seclusâ omni lege oritur; quia cum fama sit status illæsus moribus & legibus probatus, illa per grave delictum legibus contrarium diminuitur. Hæc delicta & ob ea infames plurima ex parte enumerat. *cit. Canon. infames*. Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamiâ, id est, qui Christianæ legis normam abjiciunt: similiter fures, sacrilegos & omnes capitalibus criminibus irretitos: sepulchrorum quoque violatores, & Apostolorum atque Successorum eorum reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, & omnes, qui adversus Patres ar-

mantur, qui in omni mundo infamiâ notantur; similiter & incestuosos, homicidas, perjuros, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis publicis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injustè, & qui fratres calumniantur, & accusant, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, & omnes quos ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant... Hi omnes ad Sacros Ordines non debent provehi. Ita Stephanus Papa, *loc. cit.* Hæc ergo peccata infamiam inducunt, ex qua irregularitas nascitur, quæ attento cujuscunque statu & communitate, in qua vivit, apud pios & prudentes vilis & abjectæ existimationis reddunt, qualia respectu Clericorum sunt perjurium, homicidium, hæresis, Sodomia &c. Debent autem delicta sive facta esse notoria, ut irregularitas incuratur, quæ ipsâ infamiâ sublata eo ipso cessat, ideoque si infamia facti per emendationem & sufficientem pœnitentiam tollitur, hæc quoque irregularitas aufertur. Infamia juris illa est, quæ vel per Jus Canonicum, vel per Jus Civile inducitur, & duplex est: alia ex delicto proprio, cui ipso jure statuente infamia annexa est, & hæc requirit sententiam definitivam Judicis, quæ in rem judicatam transit, qualis est ex crimine læsæ Majestatis, adulterii, proditiõnis, rapinæ, vel si ob criminis notoritatem ad pœnam publicam v. g. Flagellationis, triremium, perpetui car-

ceris damnatus sit; tales enim pœnæ infamiam juris inducunt. Alia ex delicto proprio proveniens infamia est, quæ ipsi delicto tantùm annectitur, & oritur ex crimine, cui jus ipso facto infamiam annectit, & sententiam definitivam aut condemnatoriam non requirit, sed solum criminis declaratoriam. Exempla sunt in *cap. Statutum. 14. de hereticis, in 6. & cap. felix, 5. de pœnis, in 6.* Ex exercitio quoque histrionum infamia oritur: illi enim ob turpes & obscœnas repræsentationes infames declarantur in *Can. definimus. 1. caus. 4. q. 1.* Infamia facti per baptismum & facti emendationem: infamia autem juris per solam dispensationem tollitur; hæc enim per legem & sententiam perpetuam inducta est. Potest autem dispensare Summus Pontifex, & alii privilegiati, sicut Prælati Regularium respectu suorum subditorum dispensant.

Quæres *septimò.* Quale peccatum ad irregularitatem ex delicto requiritur?

R. Requiritur *1mò* culpa externa, consummata, & secundùm proprietatem verborum canonis irregularitatem inducentis, perfecta, sive sit publica, sive occulta. Colligitur ex *Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 6.* Ubi Episcopis facultas datur dispensandi super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientius. *2dò.* Culpa, per quam irregularitas incurritur non solum ex objecto & materia sua, sed etiam hic & nunc respectu delinquentis gravis esse debet; quia irregularitas, utpote pœna gravis, in delinquente culpam gravem præsupponit.

Quæres *octavò.* Quid faciendum in dubio, an quis irregularitatem incurrit?

R. *1mò.* In quocunque dubio, sive illud juris, sive facti fuerit, diligentia ad vincendum dubium adhibenda est: ac intereà dubius absque gravi peccato ea, quæ irregulari prohibita sunt, præstare nequit. Probat ex *cap. illud Dominus. 5. de Cleric. excomm. ministrante.* Ubi Episcopus de sua excommunicatione dubitans & celebrans graviter reprehenditur; talis enim etsi de lata sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quam Sacramenta ecclesiastica pertractare; quia in dubio via est eligenda tutior.

2dò. In dubio juris dubitans post diligentem inquisitionem irregularis censendus non est. *Cap. is qui. 18. de Sentent. excomm. in 6.* Ubi nunquam irregularitas contrahi dicitur, nisi sit in iure expressum: in dubio autem *Juris irregularitas expressa non est.*

3tidò. In dubio facti homicidii, id est, si quis dubitet, an homicidium perpetraverit, vel suâ actione, consilio, vel favore illud adjuverit, dubius in foro externo se pro irregulari habere debet, non quidem absolutè, sed quoad effectum abstinendi à celebratione Missæ, & quærendi dispensationem, est expressum in *cap. ad audientiam. 12. cap. significasti. 18. cap. petitio. 24. de homicid.* Cum in dubiis *semitam debeamus eligere tutiorem, & in hoc casu cessare ab officio Sacerdotali sit tutius, quam temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur, uti loquitur*

quitur Pontifex locis citatis. Hanc Juris dispositionem aliqui extra casum homicidii extendere nolunt; quia, inquit, in irregularitate homicidii ob specialem indecentiam jura Clericorum dubiam à celebratione abstinere voluerunt, lex autem pœnalis ad casum juxta proprietatem verborum non comprehensum non est extendenda.

Quæres non. Quæ sunt irregularitates ex defectu ortæ?

32. Sunt sequentes: imò ex defectu Sacramenti irregularitas bigamiæ oritur colligitur ex *cap. debitum. §. de bigamis*. Hæc irregularitas ab ipsis Apostolis dimanavit, ut innuit Apostolus. *1. ad Timot. 3.* Vocatur ex defectu Sacramenti, quia in matrimonio bigami conjunctio Christi cum Ecclesia non significatur: vel enim non est conjunctio unica unici, vel unus non est unius; ideoque deficit signaculum Sacramenti. Bigamia dividitur in veram, interpretativam, & similitudinariam. Vera est, quando quis cum duabus successivè reverà contraxit, & matrimonium consummavit: interpretativa fictione juris est in quatuor casibus: 1. Quando quis duo matrimonia contrahit & consummat, quorum unum validum, alterum de facto nullum. 2. Quando duo matrimonia de facto invalida contrahuntur. 3. Quando matrimonium quis contrahit cum vidua vel corrupta. 4. Quando vir uxorem contracto matrimonio adulteram post commissum adulterium cognoscit. Bigamia similitudinaria est, quando Religiosus professus, vel in majoribus ordinibus constitutus contrahere matrimo-

nium attentat, quod quidem in se nullum est, ob intentionem tamen & affectum pravum irregularitatem inducit, *Can. Monacho. Can. quotquot. caus. 27. q. 1.*

2dò. Ex defectu lenitatis. De qua in *cap. Clericis. §. & cap. Sententiam. 9. ne Clerici vel Monach.* Hæc irregularitas per justam occisionem vel mutilationem auctoritate publicâ factam incurritur: idèò imprimis in Judicio sanguinis Judex, Assessor, Promotor, Fiscalis, Procurator, Satelles, Comprehenfor, Accusator, Denuntiator, si vi accusationis vel denuntiationis reus occidatur, sunt irregulares, *Cit. cap. Sententiam*. Hanc tamen irregularitatem non incurrit, qui reum accusat, ut sua bona recipiat, qui supplicio ut merus spectator assistit, qui inadvertenter & indeliberatè reum hortando, ut scalas ascendat, mortem accelerat, &c. Nec Prælatus, qui jurisdictionem temporalem habens in foro contentioso aliis Laicis vel specialiter, vel generaliter causam sanguinis committit. *Cap. fin. ne Clerici vel Monach. in 6.* Pugnantes in bello justo offensivo sunt irregulares, si aliquem propriis manibus occiderint, vel mutilaverint, *Cap. peritio. 24. de homicid.* Dicitur in bello justo. Si enim bellum injustum est, omnes mandantes, cooperantes ad tale bellum irregulares sunt. Dicitur 2dò. *Offensivo*. quia in bello defensivo cum moderamine inculpatæ tutelæ occidentes, vel mutilantes, irregulares non sunt; cum justa defensio sit juris naturalis.

3tò. Ex defectu natalium. De qua in *Cap. per Venerabilem. 13. qui filii sint legitimi, & cap. 1. & 2. de filiis Presbyter.*
in 6.

in 6. Defectum natalium patitur, qui natus est ex thoro illegitimo, sive sit naturalis, sive spurius, incestuosus vel sacrilegus. Hanc irregularitatem non habent expositi, quorum parentes ignorantur; cum sæpe parentes legitimi proles exponant; item nec filii nati ex matrimonio invalido, bonâ tamen fide ab uno saltem ex parentibus contracto. Pater ex *cap. cum inter. 2.* & *cap. ex tenore.*

14. Qui filii sint legitimi.

4to. Ex defectu mentis, qui duplex est: ignorantia & amentia. Propter ignorantiam irregularis est, qui non habet tantam scientiam, ut ministerium Ordinis exercere possit: literis enim carens factis non potest esse aptus officii. *can. illiteratos. 1. dist. 36.* Propter amentiam irregularis est, qui non transeunter ex febris, sed habitualiter & ex naturali complexionem vel propriâ organorum læsione amens est. *can. maritum. 2. dist. 33.*

5to. Ex defectu corporis. Tales sunt hermaphroditi. 1. Patientes defectum ætatis pro Ordinibus requisitâ. 3. Non habentes aliquod membrum ad congruentem Ordinis usum necessarium, vel qui talem deformitatem habent, ut horrorem incuriant, sive illa culpabiliter, sive inculpabiliter sit causata. *cap. cum de tua. 2. cap. fin. de corp. vitiatis &c. cap. Presbyterum. 2. de Clerico agrotante.* Sic irregulares sunt, qui carent pollice vel indice, vel his ita debiles sunt, ut hostiam frangere nequeant. *cap. exposuisti. 5. & cap. de Presbytero. 1. & cap. fin. de corpore vitiatis.* *4to* Cæci, & taliter claudi, ut absque baculo vel pede ligneo se move-

re non possint. Surdi utraque aure, qui Ministri responsum percipere nequeunt: si tamen surditas Ordinato superveniat, ut celebret, permitti potest. Ob horrorem & deformitatem irregulares sunt, quibus nares deficiunt. qui leprâ, paralyti, morbo caduco, aliâque infirmitate laborant, per quam notabiliter deformantur. Episcopi autem iudicio relinquuntur, utrum defectus horrorem vel deformitatis tantus sit, ut usum Ordinis impediatur.

Ad irregularitatem ex defectu corporis reducitur ea, quam contrahit, qui partem sui corporis etiam usum Ordinis non impediens ex indignatione vel zelo indiscreto sibi abscindit, aut abscindi permittit. *can. qui partem. 6. dist. 55. cap. ex parte. 3. & cap. significavit. 4. de corp. vitiatis.*

Ultima ex defectu libertatis. Ex qua irregulares sunt servi propriè dicti, ut statuitur in pluribus canonibus *dist. 54.* & toto titulo de servis non ordinandis. Ratio est: quia ecclesiasticum statum ejusque decorem servitutis humilitas dedecet. Si servus sciente & non contradicente Domino Ordines vel primam tonsuram suscipiat, liber & ingenuus erit. *can. si servus. 20. dist. 54.* si verò ignorante & non contradicente Domino ordinetur, & Minores susceperit, manet servus, & ad Dominum redire tenetur. *cap. de servorum. 2. de servis non ordinandis.* si autem Majores susceperit, ipso in Clericatus officio permanente, Episcopus, qui eum scienter ordinavit, illum Domino duplici satisfactione compensare tenetur. *can. si servus. 19. dist. 54.* Ad irregularitatem

tatem ex defectu libertatis reducitur ea, quam habent obligati ad ratiocinia, si-ve qui debent reddere rationem alicujus administrationis si-ve à Republ. si-ve à privato, non tamen miserabili persona susceptæ: ut Theaurarii, Depositarii, Procuratores: Actores, Advocati, Magistratus, Judices, Tutores &c. Dum enim ista munia exercent, ab Ordinibus arcentur, partim in honorem Statûs Clericalis, quem tales administrationes dedecent, partim ne Ecclesia dolo favore præsumatur; tales enim non amore divini obsequii, sed fugiendo ratiocinia Ordinibus initiari velle creduntur. Colligitur ex *Can. 1. & 3. dist. 51. & cap. unic. de obligat. ad ratiocinia.*

Quæres *decimò*. Quot modis tollitur irregularitas?

1^{us}. Sequentibus: *1^{us}* modus generalis, quo irregularitas tollitur, est causæ cessatio: omnis enim irregularitas ex defectu proveniens cessante causâ, ob quam introducta est, absque ulla dispensatione aufertur; cum enim Ecclesia tales irregularitates induxerit ob indecentiam apparentem in eo, qui ad ministerium Ecclesiasticum admittitur, cessante indecentiâ cessat irregularitas. Si verò causa irregularitatis sit indecentia perpetua nunquam tollibilis, ut in bigamia & illegitimitate, &c. irregularitas non nisi dispensatione aut juris dispositione auferrî potest.

2^{us}. Modus Baptismus. Omnis irregularitas ex delicto proveniens non nisi post baptismum contrahitur, post quem delictum, ut irregularitatem inducat, commissum esse debet. Aliàs ex

R. D. Schnorrenberg Instit. J. Can.

defectu post baptismum fundamentum & causa, propter quam suscepto baptismo irregularitas contrahatur, remanere potest, ut patet in bigamia.

3^{ius} modus. Professio religiosa irregularitatem ex defectu natalium ortam in ordine ad suscipiendos Ordines sacros tollit, *Cap. ut filii. 1. de filiis Presbyt.* non autem quoad Prælaturas; cum in *cit. cap.* addatur: *Prælationes verò nullatenus habeant.* Prælati tamen Regulares plura privilegia habent, vi quorum cum suis Religiosis subditis in omnibus irregularitatibus etiam bigamia & homicidio voluntario dispensare possunt.

4^{us} modus. Dispensatio. Quia in omnibus irregularitatibus dispensatio fieri potest; cum enim irregularitas jure ecclesiastico introducta sit, cui dispensandi in jure, ei quoque in irregularitate dispensandi competit facultas.

Quæres *undecimò*. Quinam in irregularitate dispensare valent?

1^{us}. Summus Pontifex in omnibus & quibuscunque irregularitatibus validè absque causa, licitè cum causa dispensare potest. Delegatus Summi Pontificis nullâ interveniente causâ nec validè nec licitè dispensat. Difficulter tamen in bigamia à temporibus Apostolorum introductâ, & adhuc difficilîus in irregularitate ex homicidio injusto orta, ob indecentiam gravissimam, quam statui Clericali contrariam affert, hodieum dispensatur.

2^{do}. Episcopi in irregularitatibus etiam non reservatis dispensare non possunt; quia Episcopi Jus vel Canones innovandi potestatem non habent. Nisi

Aaa

specia-

specialiter id eis concedatur, uti conceditur à *Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reform.* Facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto provenientibus ad forum contentiosum non deductis cum suis subditis, exceptâ irregularitate ex homicidio voluntario causatâ. Quibus verbis quatuor conditiones exprimentur, 1. Ut dispensatio cum subditis fiat, 2. In Diocesi propria, 3. In irregularitate ex delicto occulto, 4. Solum in foro conscientiae.

Quæres *duodecimò*. Quâ formâ fit dispensatio?

R. Nulla determinata in jure assignatur, adeoque quæcunque verba mentem superioris de danda dispensatione

exprimentia sufficiunt, imò si Prælati habens facultatem dispensandi super irregularitate scienter ad Ordinem vel beneficium admitteret irregularem, cum eo, saltem in foro conscientiae dispensare velle censeretur: quia quod admittendo peccare velit, non præsumitur. Aliàs congruentior forma est hæc: *Dispenso tecum in irregularitate, quam ob talem causam incurristi.* Si aliquis plures irregularitates diversæ speciei contraxisset; omnes illæ in forma dispensationis exprimi deberent; secus dicendum, si ejusdem essent rationis, ut quia multoties excommunicatus ministravit, non requiritur, ut exprimat, quoties celebrasset.

TITULUS VI.

DE

Sacramento Extremæ Unctionis.

Quæres *primò*. Unde nomen extremæ unctionis?

R. Dicitur extrema unctio *primò* quia datur hominibus in extremis existentibus. *2dò* Quia inter cæteras unctiones, quas Christus Ecclesiæ suæ commendavit, hæc extrema ultimò est ministranda: siquidem baptizatus in vertice à baptizante; confirmatus in fronte ab Episcopo confirmante: Sacerdos in manibus ab Episcopo ordinante; Episcopus dum consecratur, in capite & in manibus ab Episcopo consecrante inungitur; & ab his sacris unctionibus,

quæ fiunt in vita, distinguitur hoc Sacramentum, quod datur in morte, sive ejus articulo. Dicitur etiam Sacramentum unctionis infirmorum; quia ipso infirmi ununtur; vel Sacramentum exeuntium; quia constitutis in periculo mortis sive exeuntibus ex hoc mundo ministratur. *Catechism. Roman. p. 2. cap. 5. q. 6.*

Quæres *secundò*. An extrema unctio Sacramentum?

R. Instituta est S. unctio infirmorum, tanquam verum & propriè Sacramentum novi testamenti, à Christo Domino nostro

nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum & Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. *Trident. Sess. 24. cap. 1. de extr. unct.*

Quæres tertio. Quæ congruentia institutionis hujus Sacramenti?

R. Homini lapsio viatori quinque Sacramenta necessaria sunt, duo particulari homini voluntaria. Ad ingressum necessarius est baptismus, ad progressum confirmatio, pœnitentia, Eucharistia, ad egressum extrema unctio: Ordo & matrimonium nulli in particulari sunt præcepta, ideoque Sacramenta voluntaria.

Quæres quarto. Qualiter definiendum hoc Sacramentum?

R. Extrema unctio est: Sacramentum novæ legis à Christo Domino nostro institutum, ut Sacra unctio & oratione Sacerdotis in certis partibus corporis infirmi probabiliter periclitantis de vita, corpore & anima efficiatur salvus.

Quæres quinto. Quæ materia remota hujus Sacramenti?

R. Est oleum ab Episcopo benedictum. *Trident. loc. cit.* Liquor scilicet, non ex quavis pingui materia & crassa, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. *Catechism. Rom. cit. cap. 5.* De necessitate Sacramenti est, quod sit be-

nedictum ab Episcopo, benedictione speciali: ideoque si quis inunctus chrysmate esset, Sacramentum reiterari deberet. *Gloss. in Can. Presbyteros. 2. dist. 45.* Si oleum consecratum deficiat, non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit immisceri. *Cap. quod in dubiis. 3. de Consecrat. Eccles. vel alt.*

Quæres sexto. Quæ materia proxima hujus Sacramenti?

R. Est unctio facta infirmo oleo sacro: nam unctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægroantis inungitur, repræsentat. *Trid. cit. cap. 1.* Quæ unctio sive fiat per modum crucis, sive alio modo, non interest; tutius tamen est & magis pium, si fiat per modum crucis.

Quæres septimo. In quibus partibus unctio fieri debet?

R. In locis & organis quinque sensuum, scilicet in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter olfactum, in ore propter gustum, in manibus propter tactum. Inunguntur autem à quibusdam renes aut scapulæ ob vim appetitivam, & pedes ob vim motivam; sed hæc postrema de necessitate non sunt, sed servanda consuetudo Ecclesiarum.

Quæres octavo. Quæ forma hujus Sacramenti?

R. Forma sunt ista verba: *Per istam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum.* *Trident. loc. cit.*

Quæres nono. Quis minister hujus Sacramenti?

ꝛ. Proprii hujus Sacramenti ministri sunt Ecclesiæ Presbyteri, quo nomine eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati. *Trident. cit. cap. 3.* Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum extremæ unctiōnis ministrare, non habitâ super hoc Parochialis Presbyteri licentiâ speciali, præsumperint, excommunicationis incurrunt sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi. *Clement. 1. de Privileg. & excess. privilegiat.*

Quæres *decimò*. Quibus hoc Sacramentum conferendum?

ꝛ. Illis, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videntur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctiōnem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. *Trident. cit. cap. 3.* Omnes qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt, & pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus non sit.

Quæres *undecimò*. Quis effectus hujus Sacramenti?

ꝛ. Est gratia Spiritûs Sancti, cujus unctio delet, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calca-

neo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi salutem animæ expedierit, consequitur: *Trident. cit. cap. 2.* Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, Domino dicente languido, quem sanaverat: *Vade, & amplius noli peccata, ne deterius aliquid tibi contingat, & cessante causâ cesser effectus.* *Cap. cum infirmitas. 13. de Penit. & Remiss.* In hoc Sacramento, sicut in cæteris, tria sunt: unum est Sacramentum tantum, scilicet unctio extrema: aliud est res tantum, scilicet effectus duplicis sanitatis: tertium est Sacramentum & res, scilicet quædam unctio spiritualis interior, id est mentis jucunditas & solatium, quia per hoc venialia delentur, de quo in *cap. unic. de S. unct. §. 1.* Unctio visibilis & exterior signum est interioris & invisibilis unctiōnis: unctio verò visibilis & interior non solum est signum sed etiam Sacramentum: quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat.

Quæres *duodecimò*. Quæ obligatio ad hoc Sacramentum?

ꝛ. Obligatio gravis ad hoc Sacramentum ex fine, ob quem est institutum, probari videtur. De quo *Trident. cit.* in principio: Clementissimus Redemptor noster extremæ unctiōnis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & capter, ut devorare animas nostras quoque modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutia

nervos

nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ per-

spicit. Ideo in fine ita concludit Concilium. *cap. 3.* Nec tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritûs Sancti injuria esse potest.

TITULUS VII.

DE

Sacramento Ordinis.

QUINQUE Sacramenta, de quibus in præcedentibus, sunt necessitatis: duo sequentia videlicet Ordo & matrimonium respectu privatorum voluntatis sunt, De excellentia Sacramenti Ordinis ita Gratianus: Cætera Sacramenta unicuique propter se dantur, & unicuique talia fiunt, quali corde & conscientia accipiuntur; istud verò non propter se so-

lùm, sed propter alios datur: & ideo necessè est, ut vero corde mundaque conscientia, quantum ad se sumatur, quantum ad alios autem non solum sine omni macula, sed etiam sine omni infamia propter scandalum fratrum, ad quorum utilitatem non solum ut præsent, sed etiam ut profint, Sacerdotium datur.

§. Primus.

Essentialia Sacramenti Ordinis.

QUÆRES PRIMÒ. An Ordo Sacramentum?

R. Affirmativè. Cum Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex se-

prem S. Ecclesiæ Sacramentis. *Trident. sess. 23. cap. 3.*

QUÆRES SECUNDÒ. Quomodo definitur Ordo?

R. Magister sententiarum *lib. 4. dist. 24.* ita definit: Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur Ordinato. Quam definitionem approbat Doctor Angelicus in

Aaa 3 suppl.

suppl. q. 34. a. 2. in O. Definitio, inquit, quam Magister ponit de Ordine, convenit Ordini, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, & ideo duo ponit, videlicet signum exterius, & effectum interio- rem, potestatem videlicet spiritualem, qui est proprius effectus hujus Sacramenti.

Quæres *tertiò*. Qualis spiritualis potestas in susceptione Ordinum vel Ordinatione confertur?

R. Duplex, Ordinis & Jurisdictionis. Potestas Ordinis ad verum Christi Domini corpus in sanctissima Eucharistia confertur: potestas jurisdictionis verò tota in Christi corpore mystico versatur. Ad eam enim spectat Christianum populum gubernare, moderari, & ad æternam cœlestemque beatitudinem dirigere. *Catechism. Rom. p. 2. cap. 7. q. 7.*

Quæres *quartò*. Quot sunt Ordines?

R. Cum *Catechism. Rom.* contra communem Canonistarum sententiam docendum erit omnes holce Ordines septenario numero contineri, semperque ita à Catholica Ecclesia traditum esse; quorum nomina hæc sunt: Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos. Ex his alii majores, qui etiam sacri, alii minores dicuntur. Majores vel sacri sunt Ordo Sacerdotalis, Diaconatus & Subdiaconatus: ad minores Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii referuntur.

Quæres *quintò*. An prima Tonsura sit Ordo?

R. negativè. Sed Clericalis Tonsura quædam præparatio est ad Ordines su-

sciendos. Ut enim homines ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus præparari solent; ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Sacramentum Ordinis reperitur. *Catechism. cit. q. 13.*

Quæres *sexto*. An Episcopatus Ordo sit?

R. Tametsi unus est Ordo Sacerdotalis, varios tamen dignitatis & potestatis gradus habet. Primus est eorum, qui sacerdotes simpliciter vocantur; 2dus est Episcoporum, qui singulis Episcopatibus præpositi sunt, ut non solum cæteros Ecclesiæ ministros, sed & fidelem populum regant, & eorum salutis summa cum vigilantia & cura prospiciant. *Catech. Rom. cit. q. 24.*

Quæres *septimò*. Quis legitimus Sacramenti Ordinis minister?

R. Constat ad Episcopum eam administrationem pertinere. Quamvis autem nonnullis Abbatibus permillum sit, ut minores & non sacros Ordines interdum administrent, tamen hoc proprium Episcopi munus esse nemo dubitat. *Catech. cit. q. 5.* Abbatibus autem ac aliis quibuscunque exemptis non licet intra fines cujuscunque Diœcesis existentibus, etiamsi nullius Diœcesis vel exempti dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre. *Tridentin. sess. 23. cap. 10. de reform.*

Quæres *octavo*. Quodnam subjectum Ordinis?

R. Malculus baptizatus. Pueris quidem & furiosis vel amentibus, quòd usu rationis carcant, hoc Sacramentum dan-

dandum non est, quamvis si iis quoque administraretur, Sacramenti characterem in eorum anima imprimi certò credendum sit. *Catech. cit. q. 27.*

Quæres nonò, Quæ officia singulorum Ordinum:

Re. primò. Ostiarii munus est templi claves & januam custodire, aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum, sancto Missæ Sacrificio assistere, & curare, ne quis propius quàm par est, ad sacram aram accedat, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellat. *Catech. q. 15.* 2dò. Ad Lectoris munus pertinet in Ecclesia novi & veteris Testamenti libros clarâ voce & distinctè recitare, præsertim eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent, & prima Christianæ Religionis rudimenta fidelibus tradere, *Catech. q. 16.* 3tò. Exorcistis potestas data est nomen Domini invocandi super eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur, *Catech. q. 17.* 4tò. Acolythorum munus est ministris majoribus Sub- & Diacono in Altari ministrare, luminaria deferre, & asservare, & cum Missæ Sacrificium celebratur, præcipuè dum Evangelium legitur. *Catech. q. 18.* 5tò. Subdiaconi munus est Diacono in Altari servire, sacra linteamina, vasa, panem & vinum ad Sacrificii usum necessaria parare, Epistolam legere, & tanquam testis ad Sacrificium assistere. *Catech. q. 18.* 6tò. Diaconi officium est Episcopo & Sacerdori sacra facienti vel alia Sacramenta administranti assistere, in Missæ Sacrificio Evangelium legere, bona ecclesiastica inter pauperes distribuere, tanquam

oculus Episcopi investigare, quinam in urbe piè & religiosè, quive secus vitam traducant, eosque privatim adhortari, publicè cortigere & redarguere, & ad Episcopum deferre, in absentia Episcopi & Sacerdotis Evangelium annuntiare & explanare. *Catechism. q. 20.* 7tò. Sacerdotis est DEO Sacrificium offerre, & Ecclesiastica Sacramenta fidelibus administrare. *Catech. q. 21.* Exoptat autem Synodus Tridentina *sess. 23. cap. 17. de reform.* ut sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus ab Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquamdiu intermissæ in usum juxta S. Canones revocentur, ne ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur.

Quæres decimò. Quæ materia & forma hujus Sacramenti?

Re. cum Bellarm. *cap. 9. de Sacramento Ordinis.* Credibile est Dominum instituisse materias Ordinum, non quidem in particulari, sed generaliter, monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per ceremoniam instrumentorum, quibus significaretur coram potestate speciatim. De materia & forma cujuslibet Ordinis videri possunt Canones in *dist. 23.*

Quæres undecimò. An ad validitatem hujus Sacramenti requiratur, ut Ordinandus verè & realiter tangat instrumenta, quæ sunt materia remota Ordinis, quem suscipit?

Re. Cum Doct. Angel. in *suppl. q. 34. a. 5. ad 3.* Ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: *Accipe hoc vel illud &c.*

Quæ-

Quæres *duodecimò*. Quis effectus Sacramenti Ordinis?

Re. cum Catech. Rom. q. 28. Quamvis Ordinis Sacramentum maxime ad utilitatem & pulchritudinem Ecclesiæ spectet, tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficit, quâ idoneus habilisque ad rectè munere suo fungendum Sacramentaque administranda reddatur. Aliam quoque gratiam hoc Sacramentum tribuit, videlicet potestatem, quæ ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum refertur; in Sacerdote quidem plena & perfecta, ut

qui Domini nostri corpus & sanguinem unus conficere potest; in aliis verò inferiorum Ordinum ministris minorem majoremve, quo quis ministerio suo magis minusve ad Altaris Sacramenta accedit. Atque hæc potestas etiam character spiritualis dicitur: ad quem Apostolus videtur spectasse, cum ad *Timoth.* ait: *Noli negligere gratiam, qua in te est, qua data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et alibi: *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, qua est in te per impositionem manuum mearum.*

§. Secundus.

D E

Ordinandis.

OMnia ferè accidentalia Ordinationis explicavimus in *Lib. 1. de Clericis in sacris & non sacris constitutis*, quæ in compendio hîc reperimus.

Quæres *primò*. Quæ requiruntur, ut quis licitè ordinetur?

Re. primò. Primam tonsuram & quatuor minores Ordines suscipere desiderans, sacro Chrysmate confirmatus esse debet: *Trident. sess. 23. de reform. cap. 4. ex legitimo Matrimonio procreatus, cap. ut filii. 1. de filiis Presbyc. cap. is qui. 1. eod. in 6.* aut natalibus restitutus: origine, vel domicilio, vel beneficio Diocesanus. *cap. nullus. 4. de temp. ordinat. in 6.* aut à suo Episcopo dimissus.

add. Ad primam tonsuram septennium

completam requiritur. Eos, qui minores Ordines susceperunt, expedit non pauciores habere quàm annos duodecim. Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum (intellige, inchoatum) ætatis suæ annum promoveatur. *Trid. sess. 23. cap. 12. de reform.*

3^{id.} Præterea requiritur, ut Ordinandi sint liberi. *cap. instruendi. 1. & cap. consuluit. 5. de servis non ordin.* mente & corpore integri, nullam notabilem deformitatem patientes. *can. maritum. 2. dist. 33. & dist. 55. per totum.* Ac toto titulo: *De corpore vitiatas non ordinandis.*

Ma-

Matrimonii vinculo non obstricti. *cap. conjugatus. §. de convers. conjugat.* non excommunicati. *cap. cum illorum. 32. de sentent. excomm. competent. docti. can. illiteratos. 1. dist. 36. cap. fin. de qualit. & arat. Ordinand. Vitæ probatæ. Trident. sess. 23. de reform. cap. 5. Titulum sufficientis beneficii habentes &c.*

Quæres secundò. Quo tempore Ordines conferendi?

R. Prima Torsura quocunque die & horâ conferri potest. *Pontifical. Rom. de Ordin. 2dò. Quatuor Minores non tantum in Ordinationibus generalibus, sed quocunque die Dominico & festo dari possunt. Pontifical. Rom. 3tò. Ordines majores tantum conferri possunt temporibus à Jure constitutis: quæ sunt Sabbatha quatuor temporum, Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris post festum S. Crucis, Decembris post festum S. Lucie, item Sabbathum ante Dominicam Passionis, & ante diem Resurrectionis Dominicæ. Ordinatus extra hæc tempora sine privilegio & facultate speciali Summi Pontificis peccat mortaliter & suspensionem incurrit, ac in Ordine taliter suscepto ministrando, antequam absolvatur à suspensione, fit irregularis, in qua irregularitate solus Summus Pontifex dispensat. *cap. cum quidam. 8. de temp. ordinat. 4tò. Ante Concilium Trident. diversi Religiosorum Ordines diversa habebant privilegia extra tempora Ordines suscipiendi, quæ per dictum Concil. revocata sunt. Patres Societatis JESU adhuc hodie gaudent privilegio Gregorii XIII. in quo alii**

R. D. Schnorrenberg *Instit. J. Can.*

Religiosi, Pontifice ita disponente, non communicant.

Quæres tertio. An unâ die plures Ordines conferri & suscipi possint?

R. primò. Nequidem Ordines minores absolute & regulariter eodem die suscipi possunt, nisi aliud Episcopo visum fuerit. *Trid. sess. 23. cap. 11.*

2dò. Quatuor minores cum Subdiaconatu eadem die vel eadem ordinatione conferri non debent, & eorum executio, si ita conferantur, suspenditur. *cap. literas 13. de temp. Ordinat. cap. innouit. 3. de eo qui furtivè Ord. suscepit. Tridentin. sess. 23. cap. 13. de reform. nisi vigeat consuetudo, & ubi hæc fuerit, ut Subdiaconatus cum quatuor minoribus conferri possit, suscipientes non sunt suspensi, declaravit S. Congregatio ad cap. 13. Trident. sess. 23.*

3tò. Multò minus potest Episcopus unâ eademque die plures majores eidem conferre. *cit. cap. literas. cap. dilectus. de temp. Ordinat.*

Quæres quarto. Quæ interstitia inter quemlibet Ordinem intercedere debent?

R. Non solum temporum interstitia in majoribus, verum etiam juxta rigorem Canonum in minoribus Ordinibus suscipiendis servanda sunt. Videatur *Trident. sess. 23. cap. 11. 13. & 14.*

Quæres quinto. Quis in interstitiis dispensare potest?

R. primò. Solus Episcopus. Et quidem ad dispensandum in interstitiis minorum Ordinum à Trid. solum Episcopi arbitrio permittitur; in interstitiis inter mino-

B b b

res

res & majores Ordines utilitatem vel necessitatem Ecclesiæ exigit disjunctivè ; in interstitiis inter Diaconatum & Presbyteratum postulat utilitatem & necessitatem Ecclesiæ copulativè.

2^{do} Ex declaratione S. Congregationis Superiores Regularium super interstitiis Ordinandorum Regularium dispensare non possunt ; sed id pertinet ad Episcopum ordinantem , qui tamen quoad causam dispensationis ex attestatione Superiorum Regularium judicium facere debet

3^{to}. Episcopus ordinans cum iis, qui à propriis Episcopis dimissoriales habent , super interstitiis dispensare nequit , nisi hoc expressè in dimissoriis contineatur

Quæres sextò. Qualis in Ordinando requiritur libertas ?

R. Nullus invitus ordinari debet , & invitum ordinans per annum ab officio suspenditur. *can. Episcopus. 1. dist. 74.* & taliter invitus ordinatus reclamare , & continentis voto liberari potest ; nisi postmodum metu liberatus ordinationem ratificaverit. *cap. perlatum. 1. de his , quæ vi metusque causâ. cap. veniens. de Sponsal.* Ex causa tamen ad suscipiendos Ordines invitus quis cogi potest ; ita si quis beneficium certum Ordinem requirens obineat , subtractione fructuum & privatione beneficii ad suscipiendum Ordinem beneficium annexum cogi potest. *cap. licet canon. 14. de elect. in 6. Clement. ut ii. 2. de arat. & qualis.*

Quæres septimò. Quâ intentione ad Ordines accedendum ?

R. Id Trident. *sess. 23. cap. 4.* exprimit , ubi vetat primâ consuetâ initiari eos , de quibus non est probabilis conjectura , illos non læcularis judicii fugiendi causâ , sed ut DEO fidelem cultum præstent , hoc vitæ genus elegerint. Sinistras & huic contrarias intentiones deplorat *Catechism. Rom. p. 2. q. 7. cap. 4.* Alii eo consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt , ut , quæ ad victum vestitumque necessaria sunt , parent , ita ut præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio , quemadmodum vulgò cæteri omnes in quovis sordidi artificii genere spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia Natura & Lex Divina jubeat , ut , qui Altari inservit , ex Altari vivat ; tamen quæstus & lucri causâ ad Altare accedere maximum sacrilegium est. Alios honorum cupiditas & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. Alii verò ut divitiis affluant , initiari volunt. Cujus quidem rei argumentum est , quod nisi opulentum aliquod Ecclesiasticum Beneficium eis conferatur , nullam sacri Ordinis cogitationem habent. Hi verò sunt , quos Salvator mercenarios appellat , & quos Ezechiel dicebat semetipsos & non oves pascere ; quorum turpitudine & improbitas efficit , ut ipsi nihil amplius ex Sacerdotio consequantur , quàm Judas ex Apostolatûs munere , quod illi sempiternum exitium attulit.

Quæres octavò. Quales Ordinati esse debent ?

R. Id exprimitur Canonibus. *can. Clericus, caus. 12. q. 1.* Clericus, qui Christi servit

servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur: KLEROS Græcè, fors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus fors illorum, id est, pars Clericorum est. Quia autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. *Can. cui portio. 6. ibid.* Cui portio DEUS est, nihil debet curare, nisi DEUM: ne alterius impediatur necessitatis munere: quod enim ad alia officia conferatur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur.

Quæres nonò. Qui promovendi ad Sacerdotium?

R. Cum Trident. Sess. 23. cap. 14. Qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate & castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita possint ab eis expectari.

Quæres decimò. Quanta dignitas Sacerdotalis?

R. Sacerdos nomen habet compositum

ex Græco & Latino, quasi sacrum dans: sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à Sacrificando vocatus est: consecrat enim & sacrificat. *Can. Cleros. 1. dist. 21. §. Sacerdos.* Sacerdotes B. Petrus sal terræ & mundi lumen docens præcipit, in splendore bonum operum glorificare DEUM. *Can. Sacerdotes. 7. dist. 93.* Mauritium Imperatorem Greg. Mag. in *Can. Sacerdotibus. 41. caus. 11. q. 1.* Ita adhortatur: Sacerdotibus non ex terrena potestate citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, ita eis dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysen de eo, qui ad Juramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad DEOS, id est ad Sacerdotes. Et rursus scriptum est: Diis non detrahes, scilicet Sacerdotibus.

Quæres undecimò. An omnes Ordines characterem imprimant?

R. Cum S. Thom. in *Suppl. q. 38. art. 2.* Cum per quemlibet Ordinem aliquis constituatur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem, oportet, quod in omnibus Ordinibus character imprimatur. Et ad 1. Quilibet Ordo vel habet actum circa ipsum Sacramentum, vel ordinatum ad Sacramentorum dispensationem: sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum Sacramentorum inspectionem, & sic de aliis: & ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas.

Quæres *duodecimè*. An in Statu peccati mortalis suscipere quemlibet Ordinem & ministrare in quolibet Ordine sit peccatum mortale?

R. Iterum cum *Doct. nostro Angelico*, in *Suppl. q. 36. art. 5. in O.* Lex præcipit, ut homo justè ea, quæ justa sunt, exequatur, & ideo, quicumque hoc, quod sibi competit ex Ordine, facit indignè, quod justum est, injustè exequitur, & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat:

quicumque autem cum peccato mortali aliquod sacrum officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat, unde patet, quod mortaliter peccet. Sanctitas vitæ requiritur in suscipiente Ordinem, ut sit idoneus ad exequendum: sed peccat mortaliter, qui cum peccato mortali ad Ordines accedit: Ergo multò fortius in quavis Ordinis executione mortaliter peccabit.



TITU-

TITULUS VIII.

DE

Sacramento Matrimonii.

Initiatur Matrimonium sponsione, consensu ratificatur, & copula consummatur. *Gloss. in cap. licet. de translat. Episcop.*

§. Primus.

DE

Sponsalibus.

Quæres primò. Quid sunt Sponsalia?

R. Sunt futurarum nuptiarum promissa. *Can. nostrates. 3. caus. 30. q. 5.* Sive sunt mentio & repromissio nuptiarum futurarum. *L. 1. ff. de Sponsal.* Dicta sunt à spondendo, nam moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. *L. 2. ibid.* Unde & sponsi sponseque appellatio nata est. *L. 3. ibid.*

Quæres secundò. Quæ sunt essentialia sponsalium?

R. Mutuus consensus exterius expressus: quia sufficit nudus consensus ad constituenda sponsalia. *L. sufficit. 4. ff. de Sponsal.*

Quæres tertio. Quotuplex consensus?

R. Contrahuntur sponsalia aut purè, aut adjectâ die, aut sub conditione. *§. rursus. Instit. Jur. Canon. de Spon-*

sal. 1mò. Purè contrahunt, qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione dant fidem. *Cap. 2. de Sponsal. 2dò.* Dies adjicitur sponsalibus, cum quis intra certum temporis spatium aliquam se ducturum in uxorem convenit, in qua specie si per eum non steterit, quominus intra præfixum terminum cum eadem matrimonium contraheret, liberè ad nuptias alterius transire poterit. *§. Dies institut. Canonic. de Sponsal. 3tò.* Sub conditione celebrat sponsalia, qui sub conditionis nomine aliquam sibi desponsat. *Cap. 1. de Conditionib. apposit.* Ea quæ sub conditione promittuntur, vel jurantur, non obligant, nisi à conditione recedatur, uti receditur, si consensus de præsentî, aut carnalis inter eos sit commixtio subsequuta. *Cap. de illis. 3. de condit. appositus.*

Bbb 3

Quæ-

Quæres quartò. Quibus modis consensus exprimitur ?

R. Variis modis : re, verbis, & literis. In sponsalibus constituendis parvi refert, per se & coram, an per internuntium vel per Epistolam, an per alium hoc factum sit. *L. in Sponsalibus. fin. ff. de Sponsalib.* Imò re : Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit. *Can. si quis. 15. caus. 27. q. 2. cap. fin. de despons. impub.* 2dò verbis : Si inter ipsos intercesserit tantummodo promissio de futuro, utroque dicente alteri : Ego te accipiam in meam, & ego te in meum, sive verba similia. *Cap. si inter. 31. de Sponsal.* Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, & cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. *Cap. ex literis. 7. de Sponsal.* 3tò literis : Ut cum absentes inter se de futuris nuptiis per Epistolam paciscuntur, quod ipsum per nuntium vel Procuratorem fieri poterit. §. *Contrahuntur. instit. Canon. de Sponsalib.* 4tò. Consensu per alium expresso : quia ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerùmque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentés fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis. Idem est, si filii tempore sponsalium absentes & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificaverint tacitè vel expressè. *Cap. unic. §. porrò. de despons. impub. in 6.*

Quæres quintò. Quodnam objectum sponsalium ?

R. Matrimonium futurum licitum & validum. Nam juxta legitimas sanctiones pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit. *Cap. fin. de pactis.* Ideo qui votum castitatis emittens juravit se quandam ducturum postea in uxorem, jubetur pro eo, quod juravit temerè, pœnitentiam agere, & votum, quod Deo fecit, observare. *Cap. rursus. 6. qui Cleric. vel voventes.*

Quæres sextò. Quæ ætas ad sponsalia requiritur ?

R. In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonio, quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quam septem annis. *L. in Sponsalibus. 14. ff. de Sponsalib.*

Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor sponsalia contraxerint, ipsi vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum matrimonium, seu aliàs verbo vel facto ipsorum liquidò appareat eisdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare, sponsalia ejusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt. *cit. cap. unic. de desponsat. impub. in 6.*

Quæres septimò. An matrimonium ex defecto ætatis nullum vim sponsalium habeat ?

R. Affirmativè. Si pubes & impubes vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de
præ-

præsenti, juris interpretatione tantum sunt sponsalia de futuro, & licet verba consensum exprimentia de præsenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent, attamen contractus valuit, ut potuit, non sicut agebatur. *Cit. cap. unic. §. idem.*

Quæres octavò. Quæ obligatio ex sponsalibus nascitur?

R. Qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent. *cap. præterea. 2. de Sponsal.* Renuentes censurâ ecclesiasticâ compelli possunt. *Cap. ex literis. 10. de Sponsal.* Quia tamen libera debent esse matrimonia, monendi potius sunt quam cogendi: cum coactiones difficiles soleant exitus frequentes habere. *Cap. requisivit. 17. de Sponsal.*

Quæres nonò. Quod impedimentum matrimonii ex sponsalibus oritur?

R. Ex sponsalibus puris & certis oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum impedimentum justitiæ publicæ honestatis. *Cap. 1. de Sponsal. in 6.* Hoc impedimentum Trident. *Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 3.* Sustulit, ubi sponsalia quâcunque ratione invalida sunt; ubi autem valida fuerunt, primum gradum excedere non vult.

Quæres decimò. An sponsi sponsalia dissolvere possint?

R. 1^{mo}. Si sponsi se ad invicem admittere noluerint, ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat,

quam odio habet, adinstar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc potest in patientia tolerari. *cap. præterea. 2. de Sponsal.* Nec obest, si pœna à sponsalibus appositâ fuerit, à resiliendis solvenda. Cum enim libera matrimonia esse debeant, inanis est omnis pœnarum adjectio. *Cap. gemma. 29. de Sponsal.*

2^{do}. Qui infra annos matrimonio aptos sponsalia contrahunt, sive uterque sive alter reclamet, antequam ad annos matrimonio aptos pervenerint, & separari postulent, non sunt audiendi. *Cap. de illis. 7. de despons. impub.* Sed usque ad legitimam ætatem expectare tenentur, & tum, si simul esse noluerint, separentur, nisi carnalis commixtio antea intervenerit. *Cap. à nobis. 8. ibid.*

3^{to}. Mulier, quæ, postquam annos nubiles attingit, ei qui nondum ad annos aptos matrimoniis venerat, nupsit, cum in eum semel consenserit, amplius non poterit dissentire; nisi ipse, cui nupsit, postquam ad legitimam ætatem pervenit, in eam suum negaverit præstare consensum. *Cit. cap. de illis.* Si tamen non tam sponte suâ quam à parentibus coacta cum impubere contraxerit, & puerum usque ad annum 14. minimè expectandum duxerit, liberam habet facultatem alium virum accipiendi. *Cap. ex literis. 11. de desponsat. impuber.*

Quæres undecimò. Quando sponsalia jure dissolvuntur?

R. 1^o. Tunc sponsalia jure ipso dissolvuntur,

vuntur, quando nullâ habitâ ratione voluntatis & consensûs partium ex certa superveniente causa dissolvuntur. §. *Dissolvuntur. instit. Canon. de Sponsal.* Ut fit in sequentibus casibus:

1^{mo}. Per matrimonium, ut si quis post promissum matrimonium alteram per verba de præsentî sibi desponsset, etiamsi inter ipsum & primum Jurementum intervenerit, non tamen potest separari à secunda. *Cap. si inter. 31. de Sponsal.* Quia si quis mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita; maneat tamen cum illa, quam duxit. Non enim rescindi debet tantum Sacramentum. Si autem fecerit fidem consensûs, non licet ei aliam ducere: si autem duxerit, dimittet ipsam, & adhærebit priori. *S. Augustin. in cap. 1. de Sponsa duor.*

2^{do}. Si quis S. Ordinibus fuerit insignitus, aut religionem ingressus ac professus, solvuntur sponsalia. §. *item ex contrario. institut. Canonic.* Equiparantur Sacri Ordines professioni religiosæ quantum ad dirimenda sponsalia contracta de futuro, non tamen de præsentî. *Extrav. antiqua. Joannis XXII.*

de voto. & Gloss. in cap. unic. de voto. in 6. verb. Sacri Ordinis.

3^{to}. Affinitas (idem est de alio quolibet impedimento dirimente) sponsalibus superveniens illa dirimit, ad quod sola fama sufficit. *Arg. cap. super eo. 2. de Consanguinit. & Affinit.*

Quæres duodecimò. Quando de facto sponsalia dirimuntur?

R. Cum legitima emergente causa alterius voluntati dissolutio permittitur. §. *facto. instit. Canon. de quo Innocent. III. in cap. quemadmodum. 25. de jurejurand.* Si quis juraverit se aliquam in uxorem ducturum, non potest ei fornicationem opponere præcedentem sed subsequenter, ne illam ducat in conjugem; quia in illo juramento talis intelligi debet conditio; si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit. Sed quid si post juramentum mulier fieret leprosa vel paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret, nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profectò ductam non posset dimittere, sponsam autem de futuro admittere non teneretur: quia multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt jam contractum,



§. Secun-

§. Secundus.

D E

Matrimonio , ut est Contractus.

Quæres primò. Unde origo nominis Matrimonium ?

R. Dicitur matrimonium quasi matris munium, id est : Officium, potius à Matre, quàm à Patre, qui est Author generationis. *Gloss. in princip. causa. 27. q. 1.* Quia enim puer ante partum onerosus, dolorosus in partu, & post partum laboriosus Matri esse noscitur, ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis matrimonium quàm patrimonium nuncupatur. *cap. ex literis. 2. de Convers. infidel.*

Quæres secundò. Quæ definitio matrimonii ?

R. Nuptiæ sive matrimonium est maris & fœminæ conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens. *Cap. illud. 11. de præsumpt.* Quamvis autem hæc omnia in perfecto matrimonio requirantur, consensus videlicet interior, pactio exterior verbis expressa, obligatio & vinculum, quod ex tali pactioe efficitur, & conjugum copulatio, quæ matrimonium consummatur, nihil tamen vim & rationem matrimonii habet, quam obligatio & nexus, qui conjunctionis nomine significatur. *Catechism. Rom. p. 2. cap. 8. q. 3.*

Quæres tertio. Qualis ad matrimonium consensus requiritur ?

R. D. Schnorrenberg *Instit. J. Cas.*

R. Debet esse imò verus. *Arg. cap. tua nos. 26. de Sponsal.* Ubi de fictè contrahente, ut obtineret copulam, ita dicitur : Si ille eam non proposuit ducere, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari: cum in eo nec substantia contractûs conjugalis, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri.

2dò. *Legitimus.* Matrimonium enim in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum. *cap. tua. 25. de Sponsal.*

3tò. *Liber.* Cum enim locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. *cap. cum locum. 14. de Sponsal.*

4tò. *Exteriùs verbis expressus.* Necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsentia, nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum

C c c

sine

sine verbis, *cit. cap. tua.* Cum quod verbis non possunt, signis valeant declarare. *Cap. cum apud. 23. de Sponsal.*

Quæres *quintò.* An contrahentes matrimonium in copulam consentiant?

R. Consentiant implicitè; quia consensus cohabitandi, & individuum vitæ consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges facit: individua verò vitæ consuetudo est talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est, & e converso. Ad individuum itaque consuetudinem pertinet, absque legitimo consensu viri & orationi aliquando non posse vacare, nec continentiam profiteri. *Can. beata. 3. caus. 27. q. 2.*

Quæres *quintò.* Qualiter inter B. Virginem & S. Josephum verum matrimonium esse potuerit?

R. Cum S. Augustino in *cit. Can. beata.* Beata Virgo proposuit se servaturam votum castitatis in corde, sed ipsum votum Virginitatis non expressit ore. Subjectit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi DEUS aliter ei revelaret. Committens ergo Virginitatem suam divinæ dispositioni, consentit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Hæc S. Pater.

Quæres *sexto.* An consensus in matrimonio conditionatus esse possit?

R. Matrimonium sub conditione contrahi potest, non tamen tenet, nisi conditio extiterit, vel per contrarium factum à conditione recessum fuerit. *Arg. cap. super eo. 5. de condit. appositis.* Si conditiones contra substantiam con-

jugii inferantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem proles evites, vel donec inveniam aliam honoribus & facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcunque favorabilis caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi. *Cap. fin. de condit. apposit.*

Quæres *septimò.* Quando matrimonium institutum?

R. Cum Gratiano §. *his ita caus. 32. q. 2.* Prima institutio conjugii in Paradiso facta est, ut esset Immaculatus chorus & honorabiles nuptiæ, ex quibus sine ardore conciperent, & sine dolore parerent. Secunda propter illicitum motum eliminandum extra Paradisum facta est, ut infirmitas prona in ruinam turpitudinis honestate exciperetur conjugii. Matrimonium igitur naturæ humanæ coævum in triplici naturæ statu triplicem statum habuit: in statu innocentiae institutum fuit in officium naturæ, in statu legis naturæ & Mosaicæ fuit remedium concupiscentiæ: in statu legis gratiæ ad statum Sacramenti fuit elevatum, & in tribus ab authore gratiæ reformatum: in uxorum pluralitate, in libello repudii, & in prælatione statûs matrimonialis ad statum virginalem.

Quæres *octavo.* An matrimonium sit indissolubile?

R. Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis

neris parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quomobrem relinquet homo Patrem suum & Matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. *Trident. Sess. 24. de Matrim.* Ita ut matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiæ capite rerum omnium conditore ipsum in Paradiso & in statu innocentie instituyente unionem & indissolubilitatem acceperit. *cap. unic. de Voto. in 6.*

Quæres nono. In quibus casibus matrimonium dissolvitur?

R. Præter casum mortis sunt sequentes: 1^{mo} Matrimonium non consummatum per professionem Religiosam dissolvitur. *Trident. Sess. 24. de Matrim. Can. 6.* Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit. Sanè quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem Sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copulâ consummatum. *Cap. ex publico. 7. de Convers. conjug.* Ubi *Gloss. verb. consummatum.* infert, quod Papa per dispensationem matrimonium non consummatum dissolvere possit, quod tenent omnes Canonistæ, & plures Theologi.

2^{do}. Matrimonium consummatum dissolvitur, si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, & alter vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut cum

ad peccatum pertrahat, ei cohabitare voluerit. Tunc qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transire potest. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: si infidelis discedit discedat. Frater enim vel Soror non est servituti in hujusmodi subjectus. Et canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. *Cap. quantò. 7. de divort.*

3^{ro}. Matrimonium quoad thorum & cohabitationem perpetuò dissolvitur præcipuè in duobus casibus, de quibus. *Gloss. in Can. Agathosa. 21. caus. 27. quest. 9. 2.* Duæ sunt causæ, ex quibus post carnalem copulam vir potest separari ab uxore quantum ad reddendum debitum & cohabitationem: scilicet fornicationem (attamen post separationem factam ab Ecclesia, & non ante. *Can. seculares. 1. caus. 33. q. 2. can. multorum. 20. caus. 27. q. 2.*) Et vorum conversionis: tunc autem exigitur, ut illa consentiat, & similiter convertatur, & profiteatur, si est juvenis; si est vetula, saltem profiteatur perpetuam continentiam. *Cap. cum sis præditus. 4. de convers. conjug.*

Quæres decimo. An matrimonium unius cum una necessariò esse debeat?

R. Hoc vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam à DEO prolata referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro. *Trident. sess. 24. de Matrim.* Non dixit tres vel plures, sed duo: non dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori. Et ab initio una costa in unam fœminam

est conversa. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam testimonio veritatis testantis in Evangelio : Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxore dimissâ duci alia de jure non potest, fortius & ipsâ retentâ. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobendam. *Cap. gaudemus. §. de divort.*

Quæres undecimò. An in pluralitate aliquando dispensatum?

R. Nulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum, quæ mos quandoquæ interdum etiam fas censetur : per quam sicut Jacob à mendacio, Israëlita à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ & alii viri justî, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. *Cit. cap. gaudemus.*

Quæres duodecimò. Quot sunt bona matrimonii?

R. Tria : proles, fides, Sacramentum. *Can. omne. 10. caus. 27. q. 2. Proles* non solum procreanda, sed etiam educanda, & ad pietatem instituenda. *Catechism. Roman. p. 2. cap. 8. q. 21. fides.* Quia vir uxori, & e converso debet mutuam servitutem & castitatem. *Gloss. in Can. conjuges. 6. caus. 27. q. 2. Sacramentum,* sive inseparabilis animorum conjunctio. Omne hoc triplex bonum nuptiarum impletum esse in matrimonio B. Virginis cum S. Josepho credimus, dum *Prolem* cognoscimus ipsum Dominum JESUM : *Fidem* quia nullum adulterium ; *Sacramentum*, quia nullum divortium. Solum ibi nuptiarum concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato,

sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato.



§. Tertius.

D E

Matrimonio ut Sacramento.

Quæres primò. An Matrimonium sit Sacramentum?

R. Cùm Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, meritò inter novæ Legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. *Trident. sess. 24. de matrim.*

Quæres secundò. Quam gratiam Sacramentum matrimonii causet?

R. Gratiam, quæ naturalem conjugum amorem perficit, & indissolubilem unitatem confirmat, conjugisque sanctificat, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfectior suâ nobis passione promeruit. *Trident. loc. cit.*

Quæres tertio. An inter solos fideles Matrimonium sit Sacramentum?

R. affirmativè. Quia etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit. *cap. quantò, 7. de divortiis.*

Quæres quartò. An ratio Sacramenti in matrimonio fidelium à ratione contractûs separari possit?

R. negativè. Quia Sacramentum fidei, quod semel est admistum, nunquam amittitur, sed ratum efficit con-

jugli Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret. *cit. cap. quantò.*

Quæres quinto. In quo cæteris Sacramentis præeminet matrimonium?

R. In sequentibus: 1. ratione loci, cùm substratum Sacramenti matrimonii in paradiso institutum sit. 2dò ratione temporis, quia ante peccatum existit, 3tò ratione amplitudinis, quia est commune cum infidelibus. 4tò ratione mysterii.

Quæres sexto. Quod mysterium continet matrimonium?

R. Duo sunt in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter DEUM & justam animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus: Qui adhæret DEO, unus spiritus est cum illo. Reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Evangelista testatur: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Profectò conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per incar-

Ccc 3 natio-

nationis mysterium est contractum. *cap. debitum. s. de bigamis.* Quod Paulus in-
nuit dicendo: *Viri diligite uxores vestras
sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum
tradidit pro ea, mox subjungens; Sacra-
mentum hoc magnum est, ego autem dico
in Christo & in Ecclesia. Trident. cit. sess.
24. de matrim.*

Quæres septimò. An Parochus mini-
ster Sacramenti matrimonii?

R. negativè. Quamvis enim *Trident.
sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* dispo-
nat, ut Parochus viro & muliere inter-
rogatis, & eorum mutuo consensu in-
tellecto dicat: Ego vos in matrimonio
conjungo in nomine Patris &c. vel aliis
utatur verbis juxta receptum uniuscu-
jusque Provinciæ ritum: attamen S.
Congreg. ad *cit. cap. Trident. n. 5. & 6.*
declarat, etsi Parochus nihil dicat, con-
stat tamen matrimonium, modò partes
contrahant. Nec pertinet ad substan-
tiam matrimonii, ut Parochus aliqua
verba proferat.

Quæres octavò. An contrahentes sint
ministri hujus Sacramenti?

R. affirmativè. Eugen. IV. in De-
creto pro instructione Armenorum:
Causa efficiens necessaria regulariter est
mutuus consensus per verba de præ-
senti, qui consensus absque dubio à
contrahentibus exprimitur. Unde *S.
Thom. in 4. dist. 24. q. 1. a. 3. in O.* Verba,
quibus consensus matrimonialis expri-
mitur, sunt forma hujus Sacramenti,
non autem benedictio Sacerdotis, quæ
est quoddam Sacramentale.

Quæres nonò. Quæ accidentales ma-
trimonii solemnitates?

R. Sequentes: 1. Antequam matri-
monium contrahatur, ter à proprio con-
trahentium Parocho tribus continuis
diebus festivis in Ecclesia ante Missæ
solemnia publicè denuntientur, in-
ter quos matrimonium contrahendum.
Quod si aliquando probabilis fuerit su-
spicio matrimonium malitiosè impediri
posse, si tot præcesserint denuntiatio-
nes: tunc vel una tantùm denuntiatio
fieri potest, vel matrimonium celebrari,
& ante illius consummationem denun-
tiationes fieri; nisi Ordinarius ipse ex-
pedire judicaverit, ut prædictæ denun-
tiationes remittantur, quod ipsius pru-
dentia & judicio S. Tridentina Syno-
dus reliquit. *sess. 24. de reform. matrim.
cap. 1. 2dò.* Matrimonio contracto con-
juges ante benedictionem Sacerdotalem
in eadem domo cohabitare non debent.
Et hæc benedictio ab ipso Parocho fieri
debet, non ab alio, nisi ab illo, vel ab
Ordinario licentiam habuerit. *Trident.
loc. cit. 3tò.* Parochus librum habere
debet, in quo conjugum & testium no-
mina, diem & locum contracti matri-
monii describat.

Quæres decimò. Quæ solemnitas sub-
stantialis?

*R. Illa à Trident. loc. cit. ita exprimi-
tur: Qui aliter quàm præsentem Paro-
cho (intellige proprio) vel alio Sacer-
dote de ipsius Parochi seu Ordinarii li-
centia, & duobus vel tribus testibus
matrimonium contrahere attentant, eos
S. Synodus ad sic contrahendum omni-
nò inhabiles reddit, & hujusmodi con-
tractus irritos & nullos esse decernit,
prout eos præsentem decreto irritos facit
& an-*

& annullat : quod decretum in unaquaque Parochia robur post triginta dies habere incipit à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.

Quæres undecimò. Quâ dispositione ad Sacramentum matrimonii accedendum ?

R. Episcopis vel animarum Curatoribus incumbit curare, ut matrimonium eâ, quâ decet modestiâ & honestate celebretur. Sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum. *Trid. sess. 24. cap. 10.* Ideo conjuges antequam

matrimonium contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter debent confiteri, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedere. *Tridentin. cit. cap. 1.*

Quæres duodecimò. Quæ pœnæ abique solemnitate copulantium ?

R. Parochus vel alius Sacerdos, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non & ipsi contrahentes graviter arbitrio Ordinarii sunt puniendi. *Trid. cit. cap. 1.*

S. Quartus.

D E

Impedimentis Matrimonii.

Quæres primò. Penes quos potestas ponendi impedimentum ?

R. Est penes Ecclesiam, Quapropter si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. *Trident. sess. 24. de matrim. can. 4.* Imò sola Ecclesia constituit impedimenta, quia matrimonia hodiè reguntur jure poli, non jure fori, inquit Gratianus in *can. Euphonium. 7. caus. 2. q. 3.* ideoque exploduntur à *Trident. cit. sess. cap. 1. de reform. matrim.* qui matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, vel parentes ea rata vel irrita facere posse falsò affirmant,

Quæres secundo. Quæ impedimenta matrimonium impediunt ?

R. Ea hodie reducuntur ad quatuor. *Primum*, interdictum Ecclesiæ, contra quod sponsi ad vota matrimonialia transire non debent. Non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii dissolvatur : alia tamen pœnitentia eis debet imponi, qui contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt, *cap. ex literis. 2. de matrim. contract. contra interd. 2dum*, Tempus feriaturum. Ita enim jubet *Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 10.* ab Adventu Domini nostri JESU Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclu-

clusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus observari. *3^{ti}um*. Votum continentiae simplex et si matrimonium impediatur contrahendum, matrimonium tamen post contractum rescindere non potest. *cap. unic. de Voto. in 6. 4^{tu}m*. Si quis alicui mulieri fidem fecerit pacis, non debet aliam ducere. *cap. duobus. 1. de sponsa duorum*.

Quæres *tertiò*. Quæ impedimenta ex Jure naturali matrimonium dirimentia?

R. Quatuor. Primum *Error*. Non omnis error consensum excludit, sed alius est error personæ, alius fortunæ: alius conditionis, alius qualitatis. Error fortunæ & qualitatis consensum non excludit: sed sicut in venditione error materiæ excludit consensum, sic & in conjugio error personæ. Gratianus in *caus. 29. q. 1.*

Secundum *Vis*. Sed cum inter vim & vim sit differentia, nec constet sæpe, an post violentiam consensus intervenit: *cap. de muliere. 6. de sponsal.* videndum est, an tanta vis illata fuerit, ut coactus & non spontè consenserit, nec post præstitum coactè consensum sponsam carnaliter cognoverit. *cap. significavit. 2. de eo, qui duxit in matrim.* An metus gravis justè incussus ut in *cap. ex literis. 10. de sponsal.* an injustè ad extorquendum consensum in matrimonium incussus: & tunc dirimit matrimonium potius ex Jure positivo, congruentiâ sumptâ ex Jure naturali, cum maximè nefarium sit matrimonii libertatem violare. Ob quam causam *Tridens, sess. 24. de reform. matrim. cap. 9.* præcipit omni-

bus, cujuscunque gradûs, dignitatis & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant.

Tertium *Ligamen*. Postquam inter personas legitimas consensus legitimus intervenit de præsentibus, si personæ junctæ legitimè cum aliis postea de facto contrahant, quod prius de Jure factum fuerat, non poterit irritari. *cap. fin. de spons. duor.* ideoque mulieres, quibus Viri discesserunt, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, donec certum nuntium de morte Virorum recipiant, quantumcunque annorum numero ita remaneant viventibus Viris suis. *cap. in præsentibus. 19. de sponsal.*

Quartum *Impotentia* Qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur. *cap. 2. de spon. & malefic.* Quod intelligitur, si vitium illud ex natura contraxerint, nec opè medicorum possit adjuvari. *cap. ex literis. eod. tit.* aut ad minus antecedens matrimonium, & perpetuum, ut præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo non possit removeri. *cap. fraternitatis. 6. eod. tit.*

Quæres *quartò*. Quæ impedimenta ex Jure antiquo adhuc dirimunt matrimonium?

R. Tria. Primum. *Conditio servilis*. Si liber ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto nec verbo con-

conlenserit in eandem, contrahendi cum alia liberam habet facultatem. *cap. ad nostram 4. de conjug. servorum.*

2dam. *Votum solemne.* Illud votum debet dici votū solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendū, quod solemnizatum fuerit in susceptione sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *cap. unic. de voto. in 6.* Ex constitutione Gregor. XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino.* Vota simplicia Scholasticorum in Societate JESU dirimunt matrimonium contrahendum.

3tium. *Crimen,* videlicet conjugicidii, & adulterii, quod in tribus casibus matrimonium dirimit. *Primus,* si quis uxore vivente fide datā promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa contraxit, si prius vel postea, dum vixit uxor ipsius, illam adulterio polluerit, matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum tolerari non debet. *cap. si quis. fin. de eo, qui duxit in matrimon.* *2dus.* Si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata cum effectu, sive fidem dedit sive non, quod eā defunctā hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibetur. *cap. super hoc. 3. de eo, qui duxit in matrimon.* *3tius.* Quidam Saraceni Viros Christianos occiderunt, qui cum ad fidem conversi occisorum uxores ducere vellent, respondit Pontifex in *cap. 1. de convers. infidel.* Quod si mulieres in mortem Virorum fuerint machinatæ, nec iis adhærere debeant, nec etiam si adhæserint, sint tolerandi.

R. D. Schnorrenberg Instir. J. Can.

Additur *4tum* impedimentum, cognatio carnalis & affinitas, quæ antiquitus se longiùs extendebat, modò prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum non excedit. *cap. non debet. 8. de consanguinit. &c.*

5tum à Jure civili primitus introductum, cognatio legalis. Inter eos, qui naturā, & eos qui adoptione filii, venerandæ Romanæ Leges matrimonia contrahi non permittunt.

6tum impedimentum publicæ honestatis. Nam ex Sponsalibus puris & certis, etiam si consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut aliā quavis ratione nullis, dummodo non sint nulla ex defectu consensûs, oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis. *cap. unic. de sponsal. in 6.*

Quæres *quintò.* Quæ impedimenta reformavit Tridentinum?

1. primò. Cognationem spiritualement ex baptismo & Confirmatione, ut confirmantem sive baptizantem & confirmatum sive baptizatum, & illius patrem & matrem, ac tenentem in confirmatione sive duos tenentes in baptismo non egrediatur. *Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* *2dò.* Justitiæ publicæ honestatis impedimentum ex sponsalibus de futuro natum, ubi sponsalia valida non fuerint quacunque ratione sustulit: ubi valida fuerint, ad primum gradum restrinxit. *Trident. cit. cap. 3.* *3tiod* affinitatem ex fornicatione

D d d

na-

natam ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu junguntur, restrinxit *cap. 4.* Ex quo de mente Sacrae Congregationis etiam affinitas matrimonio superveniens maritum, ne ab uxore debitum petere possit, impediens ad secundum gradum est reductum.

Quæres *sexto.* Quæ impedimenta de novo per Tridentinum introducta?

R. Duo. *Primo.* Raptus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum potest consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, nihilominus est infamis & excommunicatus, ac obligatus raptam dotare, sive eam uxorem duxerit, sive non, *Trident. cit. cap. 6.* Secundum impedimentum est *clandestinitas.* De qua supra.

Quæres *septimo.* Quod impedimentum consuetudine introductum?

R. *Cultus disparitas.* Quamvis enim Apostolus *2. Cor. 6.* reprobet matrimonium fidelis cum infideli, dicendo: *No- lite jugum ducere cum infidelibus,* etiam Canones talia matrimonia reprehendant, ut *can. cave. can. non oportet. can. Judai. can. si quis judaica. caus. 28. q. 1.* nullum tamen textum talia matrimonia irritantem habemus, & in historiis sunt exempla, quod ejusmodi matrimonia pro validis agnita fuerint, ut matrimonium S. Cæciliæ cum Terentiano infideli, ante consummationem tamen per visionem Angelicam converso, matrimonium S. Monicæ cum Patritio adhuc infideli, ex quo ortus est S. Augustinus. Ideo dicendum

est, quod per usum Ecclesiæ posterioribus temporibus impedimentum hoc inductum fuerit.

Quæres *octavo.* Si cum impedimento matrimonium sit contractum, an proles inde secuta sit illegitima?

R. *primo.* Qui inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere & consummare ausi fuerint, separandi sunt, & spe consequendæ dispensationis carent. *Trident. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 5.* & proles illegitima censetur.

Secundo. Si ignoraverint impedimentum, sed non cum solemnitatibus Ecclesiæ, ut absque denuntiacionibus, vel legitima in eis dispensatione matrimonium contraxerint, proles censetur illegitima. *Trident. loc. cit. & cap. fin. de clandest. despons.*

Tertio. Si in facie Ecclesiæ contraxerint, & unus ex contrahentibus fuerit in bona fide, ac impedimentum ignoraverit, proles est legitima. *arg. cit. cap. fin. de clandest. despons.*

Quæres *nono.* Qualiter in impedimentis dispensandum?

R. Si solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis dispensari poterit, in contrahendis autem matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa & gratis concedatur, in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. *Tridentin. cit. sess. 24. de reform. matrim. cap. 5.* Rigor tamen ille

ille Tridentini hodie non servatur.

Quæres *decimò*. An matrimonium ob impedimentum invalidum impedimento sublato coram Parocho & testibus revalidandum?

Respondet S. Congregatio : Non tenentur iterum contrahere coram Parocho & testibus, qui jam semel coram ipsis contraxere, invalidè tamen, vel ob defectum consensûs, vel ob occultum impedimentum dirimens, sed satis erit, quod rursus secretè de novo consentiant, impetratâ priùs dispensatione in conscientia tantùm. Quod si in utroque foro dispensationem obtinuerint, debent rursus publicè contrahere coram Parocho & testibus. Indigent autem in utroque foro dispensatione, si impedimentum, quod secretum fuerat, innotuerit.

Quæres *undecimò*. Si contrahentes ex loco, ubi Tridentinum promulgatum, exeunt, & in loco, in quo non est promulgatum contrahant absque præsentia Parochi & testium, an validè contrahunt?

Ex Declaratione S. Congregationis

confirmata ab Urbano VIII. & in Brevi Apostolico insinuata Archi-Episcopo Colonienâ anno 1622. Si ad locum, ubi non est receptum Tridentinum, iverint eâ intentione, ut ibidem absque solemnitate contrahant, matrimonium est invalidum.

Quæres *duodecimò*. An valeant matrimonia, quæ cum impedimento juris ecclesiastici inter hæreticos contrahuntur?

Respondit S. Congregatio Episcopo Tricariensi apud Belgas Legato Apostolico anno 1605. 19. Januarii, quod ubi talia Decreta sunt promulgata, teneantur talem formam servare etiam hæretici, ac propterea eorum matrimonia absque forma *Concilii Trident.*, quamvis coram Ministro hæretico vel loci Magistratu contracta, nulla atque irrita esse. Attamen plures Theologi & Canonistæ Germani talia matrimonia ex tacito Ecclesiæ consensu ac dissimulatione valida esse asserunt ac defendunt.



§. Quintus.

D E

Obligationibus Conjugum.

Quæres primò. Quid sibi invicem debent conjuges ?

R. Ex S. Augustino relato in *Can. quidquid. 3. caus. 32. q. 2.* Debent sibi conjugati non solum ipsius sexûs sui commiscendi fidem, liberorum procreandorum causâ, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos mutuam quodammodo servitutum.

Quæres secundò. An conjuges ad debitum sub peccato mortali obligentur ?

R. Affirmativè. Si tu abstines, inquit *Canon. si tu. 24. caus. 27. q. 2.* Sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Quæres tertio. An propter incestum conjux debitum petere non possit ?

R. Affirmativè. Nec propriæ uxori sibi licet reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam Sororem ejus cognoscendo. Gratian. ad *Can. qui dormierit. 30. caus. 27. q. 2.*

Quæres quarto. Quæ obligatio educandi proles in conjugibus ?

R. Puer adhuc infans magis materno quam paterno indiget solatio, post triennium apud Patrem non suspectum alii debet. Unde versus :

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem,

Majorem verò pascere Patris erit. *Cap. 2. de convers. infidel. junct. Gloss.*

Quæres quinto. An una conjux alterâ invitâ ad religionem transire possit ?

R. Si nondum fuerint una caro simul effecti, potest unus ad DEUM transire, & alter in sæculo remanere. *cap. verum. 2. de convers. conjugat.*

Quæres sexto. Intra quod tempus conjux matrimonio nondum consummato alterâ parte invitâ ad religionem transire potest ?

R. Intra duorum mensium spatium debet vel matrimonium consummare, vel ad religionem transire. *cap. ex publico. 7. de convers. conjugat.*

Quæres septimo. An matrimonio consummato uterque ad religionem transire possit ?

R. Affirmativè, ex mutuo consensu. Licet enim scriptum sit : quod DEUS conjunxit, homo non separet, DEUS tamen & non homo separet, quando divini amoris intuitu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. *Can. scripsit. 26. caus. 27. q. 2.*

Quæres octavo. An una conjux sine altera in sæculo remanente ad religionem transire de licentia alterius possit ? Eadem est quæstio, an vir de consensu

sensu mulieris Ordinem sacrum suscipere valeat ?

ꝛ. Si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspitione possit esse in saeculo, dissimulari potest, ut eâ in saeculo remanente & castitatem promittente ad religionem transeat vir ejusdem. *cap. cum sis praeclitus. 4. de convers. conjug.*

Quæres nonò. An vir de licentia uxoris religionem professus, si illa nec ad religionem transire, nec votum continentiae emittere velit, revocari possit ?

ꝛ. Nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit, vir potest & debet de monasterio revocari. *cap. 1. de convers. conjugat.* Si tamen talis ætatis fuerit, de qua suspicio haberi non possit, ipsa votum continentiae observans monasterium intrare non compellitur. *Cap. significavit. 18. de convers. conjug.*

Quæres decimò. An maritus taliter revocatus uxore mortuâ ad monasterium redire teneatur ?

ꝛ. Mortuâ uxore debet ad monasterium reverti sub regulari habitu Domino serviturus. *Cap. ex parte. 9. de convers. conjug.*

Quæres undecimò. An conjux, quæ ignorante altero est professa, ad minus voto continentiae obstringatur ?

ꝛ. Licet votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obli-

gatorium, quatenus se poterat obligare, promisit enim intrando monasterium se non tractaturum carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, redire verò ad saeculum in ejus non erat potestate, sed in potestate mariti : & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desit, cum ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium pervenisse noscatur. *Cap. placet. 12. de convers. conjug.*

Quid si altera conjux sciverit & dissimulaverit professionem ?

ꝛ. Non potest habitum abjicere, quem assumpsit, nec uxore suâ, postquam ad domum transierat regularem, de præsentî vitâ sublatâ aliam sibi matrimonio copulare : quod si contraxerit, matrimonium ipsum est irritum.

Quæres duodecimò. An post matrimonium consummatum conjux innocens adulterâ in vitâ ad religionem transire possit ?

ꝛ. Affirmativè est expressus textus in *cap. constitutus. 15. & cap. veniens. 16. de convers. conjug.* Idem est de adulterio spiritali, si videlicet una conjux facta sit infidelis, altera, postquam auctoritate ecclesiasticâ divortium declaratum, in vitâ nocente ad religionem liberè convolare potest, & est casus in *cap. mulier fin. de convers. conjug.*

* * * * *
* * * * *
* *
*

Ddd 3

TITU.

TITULUS IX.

D E

Rebus Ecclesie non alienandis.

Quia temporalia Ecclesiarum bona ad cultum divinum & Ecclesie Ministrorum subsistentiam, sine qua cultus divinus intertineri nequit, ordinata esse noscuntur, merito Ecclesie Præsides bona & redditus prædictos, nisi iustâ subsistente causâ, & servatâ præscriptâ juris solemnitate alienari prohibuerunt, ita ut alienatio aliter facta sit nulla, & tam alienans quàm huiusmodi alienata recipiens juris pœnas incurrat. Unde

Quæres *primò*. Quænam temporales res Ecclesie alienari nequeunt?

R. Res Ecclesie immobiles, & mobiles pretiosæ absque debita juris solemnitate alienari non possunt. *imò*. Nomine rerum immobilium non solùm prædia, domus, vineæ, &c. quæ physicè loco moveri nequeunt, sed etiam jura & actiones ad res immobiles significantur. *Cap. 2. de rebus Eccl. non alien. in 6.* Hoc quoque nomine veniunt servitutes prædiorum, jura lignandi, piscandi, venandi &c. *Clement. 1. de rebus Eccles. non alienand.* Census & annui redditus. *Clem. exivi. 1. de Verb. signif.* Capitale ad rem immobilem emendam deputatum, ut capitale, quo emendus fuit census post relutionem censûs.

2dò. Bona mobilia pretiosa sunt, quæ propter pretium, artem, antiquitatem conferunt ad singularem Ecclesie splendorem, ut ornamenta, vasa pretiosa, imagines, reliquiæ, &c.

Quæres *secundò*. Qualis hic prohibetur alienatio?

R. Nomen alienationis in præsentî non tantum continet contractus donationis, venditionis, permutationis &c. per quas rei transfertur Dominium, sed etiam contractus, vi quorum ad alium abit rei utilitas, ut conductio ad longum tempus, Emphyteusis, feudum: imò & contractus hypothecarius, per quem mediatè Dominium confertur, aut ad minus ad Dominium acquirendum, si debitor dans hypothecam non solvat, via aperitur. *Cap. nulli. §. de rebus Ecclesie non alienand.*

Quæres *tertiò*. Quæ ad alienationem causa sufficere dicitur?

R. Aut iusta necessitas, cui aliter subveniri non possit. *cit. Clement. 1. de rebus Eccles. non alien. cap. 1. de pignor.* Aut manifesta utilitas intervenire debet. *Can. sine exceptione. § 2. caus. 12. q. 2.* Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesie suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere aude-

audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesie, *Can. terrulas, 53. ibid.* Huc reducitur pietas, ut si ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos res Ecclesie alienentur. *Can. aurum, 70. caus. 12. q. 2.*

Quæres quartò. Quænam ad rei Ecclesiasticæ alienationem requiruntur solemnitates?

R. Solemnitas ad rerum Ecclesiasticarum alienationem requisita in quatuor consistit punctis. 1. Tractatus præcedere, hoc est: Prælatus cum Capitulo, an necessarium vel conducens sit Ecclesie. quod talis res Ecclesie alienetur, maturè deliberare debet. *cit. Can. Si exceptione, cap. tua nuper, 8. de his que sunt à Prælat. cap. 1. de rebus Eccles. non alienandis.* 2. Majoris & Sanioris partis Capituli requiritur consensus. *Cap. ea noscitur, 6. de his, que sunt, à Prælat.* 3. Subscriptio Capituli, quod tamen maximè ab usu & more Ecclesie penderet. *Cap. 1. cap. tua nuper, 8. de his, que sunt à Prælat.* 4. Legitimi Superioris consensus & licentia, Summi scilicet Pontificis. *Cap. 2. de rebus Eccl. non alienand. in 6. Extrav. ambitiosa. cod. inter com.* Quod tamen ubique consuetudine receptum non est in locis, in quibus de more Episcopi sufficit consensus, aut in Collegiis Regularium, in quibus sufficit consensus Prælati immediati cum mediato Provincialis aut Generalis consensu, conformiter cujuscunque Religionis constitutionibus.

Quæres quintò. Cujus Capituli requiritur consensus?

R. 1mò. Quando Episcopus alienationis est author, Capituli Cathedralis requiritur consensus. 2dò. Si inferioris Ecclesie Collegiatæ Rector alienationem facere intendit, præter Episcopi licentiam illius inferioris Capituli consensus requiritur. 3tò. Quando Rector Ecclesie inferioris non Collegiatæ alienat, Episcopi sufficit consensus. *Arg. Can. placuit, 51. caus. 12. q. 2.*

Quæres sextò. An expressum Capituli consensum in ipso alienationis contractu intervenire necesse sit?

R. In alienatione solùm temporali, v. g. conductione ad breve tempus Capituli scientis & non contradicentis tacitus sufficit consensus. *cap. continebatur, 2. de his, que sunt à Prælat.* In alienatione verò perpetua consensus expressus intervenire debet, *Gloss. in cit. cap. continebatur. Verb. contradicente.*

Quæres septimò. In quibus casibus absque juris solemnitatibus licita est rei Ecclesiasticæ alienatio?

R. In sequentibus. 1mus. Si res sint exiguæ, minùsque Ecclesie utiles. *Can. terrulas, 53. caus. 12. q. 2. cap. ad aures, 7. de rebus Ecclesia non alienand.* 2dus. Res immobiles antiquitus in feudum vel emphyteusim dari solitæ feudo vel emphyteusim expirante iterum in feudum vel emphyteusim dari possunt. *cit. Extrav. ambitiosa, 3tius.* Res immobiles absque solemnitatibus ad triennium elocari possunt. 4tus, Fructus quoque aliæque bona, quæ servando servari nequeunt, *cit. Extrav. ambitiosa.*

Porrò

Porro solemnitates Juris, etiam dum una Ecclesia in aliam bona sua temporalia transfert, sunt servandæ. *cap. 1. de reb. Ecclesie non alienand.* Ubi disponitur, quod non liceat Episcopo vel Abbate terram unius Ecclesie vertere ad aliam, quamvis ambæ sint in ejus potestate. *cap. tua nuper. 8. de his, que fiunt à Præl.* Ubi Episcopus Ecclesias aliis Ecclesiis sine solemnitate & juris ordine donare prohibetur. Demùm in *cap. 1. de rebus Eccles. non alien. in 6.* Alienatio decimarum facta ab una Ecclesia in aliam ob solemnitatis defectum irrita declaratur.

Quæres octavò. An & qualiter alienatio absque solemnitatibus facta sit nulla?

R. Est nulla ipso jure. *Can. Apostolicos. 13. caus. 12 q. 2.* Qui emerit aut perceperit aliquid ex Ecclesie cimeliis vel salariis, & non restituerit Ecclesie iterum, quæ Ecclesie sunt, sit Anathema, usque dum fecerit. *Can. quisquis. 13. ibid.* Quod si à Clerico emerit Princeps agrum, irrita sit venditio, & restituatur Episcopis vel Monasterio. *Can. quidquid. 36. ibid.* Quidquid parochiarum Presbyter de Ecclesiastici Juris possessione detraxerit, inane habeatur & vacuum vindicatione comparantis, & actione vendentis. *cap. si quis Presbyterorum. 6. de rebus Eccl. non alien. junct. Gloss. verb. nullas. cap. 2. cod. in 6.* Contractus omnes, etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione valatos, quos de talibus alienationibus, sine hujusmodi licentia & consensu contigerit celebrari, & quidquid ex eis se-

cutum fuerit, decernimus adeò viribus omninò carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam parent. *Clement. 1. eod. tit.* Nec ex concessione ipsius recipienti aliquod jus acquiratur. *cit. Extrav. ambitiosa.* Si quis contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis & rebus ejusdem quicquam alienare præsumserit: alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi nullius omninò sunt roboris vel momenti, & nihilominus alienatæ res & bona ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, liberè revertantur. Quamvis in foro conscientie, si alienatio facta absque dolo ex causa necessitatis vel utilitatis autoritate Superioris & eorum, quorum interest, à pluribus Canonistis, donec per sententiam Judicis rescindatur, valida esse defendatur.

Quæres nonò. An Laicus, qui alienationem absque juris solemnitate factam acceptavit, contra illam agere possit?

R. Si per alienationem læsa non fuit Ecclesia, rem absque solemnitatibus alienatam recipere non tenetur, si pars altera cum Ecclesia contrahens ob defectum solemnitatum contractus velit rescissionem. Ut est simile in pupillo vel minore, qui per contractum absque autoritate tutoris vel Curatoris initum læsus non est. *Fagn. in cap. nulli. de reb. Eccl. non alienand. n. 46.* Docet, quod contractum nullum, si aliàs Ecclesie sit utilis, & nullitas proveniat ex defectu solemnitatis, Ecclesia approbare & ratificare

tificare valeat, nec ab eo, nisi Ecclesia volente recedatur.

Quæres *decimò*. Qualiter Ecclesie per alienationem læsæ succurrendum?

R. *1mò*. Si læsio per alienationem solemnizatam facta, restitutio in integrum est petenda. Nam si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius, cum Episcopo aliòve Prælato ejus conditionem facere deteriore non liceat, & Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari, quæ in damnum ejus data constitit, ad ipsius convenit jus & proprietatem redire. *Cap. 1. de in integrum. restitut. cap. ad nostram. 11. de reb. Eccles. non alienand.*

Ratio est; quia cum contractus solemnizatus ob Ecclesie læsionem non sit nullus, soli locus est restitutioni in integrum, quæ est remedium extraordinarium, & non datur nisi in subsidium, videlicet, ubi remedium ordinarium seu alia actio non competit.

2dò. Si Ecclesia læsa per alienationem sine juris solemnitatibus celebratam, petendum est, ut Judex contractum nullum fuisse declaret, quod non solum à Successore in beneficio, *cap. de precariis. 2. de precariis.* Sed etiam ab ipsomet Rectore invalidè alienante peti potest. *Cap. si quis. 6. de reb. Eccles. non alien.* Quamvis non revocaturum se alienationem jurasset, *Gloss. in cit. cap. si quis. Verb. alienator. Arg. cap. intellectu. 33. de jurejur.* Imò in defectu Prælati malè alienantis nec revocantis quilibet Clericus ad restitutionem agendi habet facultatem. *Cit. cap. si quis.* Licet quibuscunque ecclesiasticis personis vocem

R. D. Schnorrenberg *Instit. J. Can.*

contradictionis offerre, ut & cum fructibus possint alienata reposeere, & ecclesiasticà auctoritate fulciri.

Quæres *undecimò*. Quotuplex Ecclesie per alienationem illegitimam læsæ competit actio?

R. Duplex: *1mò*. Actio personalis contra Prælatum malè alienantem pro damni reparatione, quæ actio transit ad hæredes illius. *2dò*. Actio in rem contra possessorem, ut rem malè alienatam cum omnibus fructibus restituat. *Cit. cap. si quis.*

Quæres *duodecimò*. Quæ malè alienantium pœnæ?

R. Ex gravitate pœnarum, quibus alienationes illegitimas rerum ecclesiasticarum Ecclesia persequitur, earum enormitas apparet. Sunt autem hæ pœnæ diversæ simul ac graves. In *Can. Apostolicos. 13. caus. 12. q. 2.* Prælati malè alienans tanquam prævaricator divinarum legum & præceptorum deponi jubetur; ei autem, qui talia emerit vel perceperit aliquid, & non restituerit Ecclesie, anathema dicitur. In *Can. quisquis. 19. ibid.* Episcopus vel Abbas alienans ab Episcopatu vel Monasterio, tanquam qui dispergit, quæ non collegit, abjiciendus est. In *Can. indigne. 21. ibid.* Accipientes, dantes, & possidentes anathematizantur. Idem repetitur in *cit. cap. si quis. 6. de reb. Eccles. non alien.* In *cap. 2. cod. in 6.* Prælati malè alienantes ipso facto ab officio & administratione, Clerici etiam, qui scientes contra inhibitionem Ecclesie aliquid esse præsumptum, id Superiori denuntiare neglexerint, à

E e e per-

perceptione beneficiorum, quæ in Ecclesia obtinent sic gravata, triennio suspensi: Laici qui Prælatos vel personas Ecclesiasticas ad similes alienationes compellunt, aut alienata sic detinent, ipso facto excommunicati existunt. Demùm sic loquitur Paulus II. in *cit. Extrav. ambitiosa*. Tam qui alienat, quàm is, qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat: alienanti verò, si Pontificali vel Abbatiali dignitate præfulgeat, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto hujusmodi animo perseveraverit indu-

rato, lapsis mensibus eisdem è regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterii, cui præsidet, in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati, Commendatarii, vel aliarum Ecclesiarum Rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes Prioratibus, Præposituris, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Canoniciatibus, Præbendis, aliisque ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto privati existant.

TITULUS X.

DE

Peculio Clericorum.

Quæres primò. Unde dicitur *peculium Clericorum?*

R. Peculium juxta *L. depositi. 5. §. 3. ff. de peculio*. Dicitur est quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum. Sic bona, quæ servi & filii familias à Domini vel Patris substantia obtinent separata, servorum aut filiorum familias *peculium* nuncupantur. Eadem quoque ratione bona, quæ Clerici beneficiati à bonis ad Ecclesiam immediatè spectantibus discreta possident, Clericorum dicuntur *peculium*.

Quæres secundò. Quotuplex Clericorum *peculium?*

R. Secundùm bonorum diversitatem *peculium Clerici* ad modum *peculii Filii familias* *peculium castrense*, quasi castrense, adventitium & profectitium habentis quadruplex esse dignoscitur. 1. Clericus bonorum patrimonialium, hoc est eorum, quæ ex hæreditate, donatione, arte, industriâ, aut aliâ causâ profana eidem obveniunt, habet *peculium*. 2. Quasi patrimonialium, quæ ex functione quidem Ecclesiastica, ut-

pote

pote celebratione Missarum, prædicatione, officio Vicarii &c. absque respectu tamen ad aliquod beneficium acquirit. 3^{to}. Bonorum Ecclesiasticorum, & sunt illa, quæ Clerico intuitu Ecclesiæ sive beneficii Ecclesiastici, ut canonicatus, Parochiæ obveniunt. 4^{to}. Bonorum parsimonialium, quæ ex redditibus Ecclesiæ ad congruam sustentationem pertinentibus parcius vivendo sibi subtrahit, ac reservavit.

Quæres tertio. An bona, quæ beneficiarius habet ex juribus, ut vocant, stola, aut distributionibus quotidianis, veniant nomine bonorum Ecclesiasticorum?

R. 1^{mo}. Bona à Pastoribus ex spiritualibus functionibus, Sacramentorum administratione, nuptiarum benedictione, fidelium sepulturâ &c. acquisita, dicenda sunt bona Ecclesiastica, eò quod intuitu beneficii obveniant, nec ea Pastor acquireret, si beneficium Parochiale non haberet, harum siquidem functionum exercitium ita beneficio & officio Pastoralis est annexum, ut absque læsione justitiæ intermitteri non possint.

2^{do}. Distributiones quotidianæ de bonis Ecclesiasticis sive de redditibus præbendarum ordinariè sumuntur, & sunt tertia pars eorundem reddituum, Trident. de Reform. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. cap. 3. Unde ad peculium bonorum Ecclesiasticorum meritò reducuntur.

Quæres quarto. Qualiter Clericus de bonis patrimonialibus disponere potest?

R. Clerici de bonis patrimonialibus liberam habent disponendi facultatem.

Firmum ab hinc & perpetuò mansurum decernimus, ut Episcopus rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu hæreditariâ successione acquisivit, secundum auctoritatem Canonicam quidquid vult faciat, & cui vult conferat. *Can. firmum. 4. caus. 12. q. 4.* Idem est de quolibet Clerico beneficiato. Probatum deinde ex *cap. quia nos. 9. testamenti.* Ubi disponitur, quod Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant. Idem repetitur in *cap. relatum. 12. de testamenti.* ibi: quæ ex hæreditate aut artificio, aut Doctrina proveniunt, distribuentur pro arbitrio decedentis. Quod dicitur de bonis patrimonialibus, ad quasi patrimonialia quoque extendendum est. Illa enim à fidelibus absque respectu ad beneficium, & sine omni tacito & expresso pacto vel onere stipendium illud in pias causas erogandi, Clericis conferuntur.

Quæres quinto. Quam de bonis parsimonialibus disponendi Clerici habent facultatem?

R. Quamvis Clericus avaritiâ & cumularum opum siti stimulatus honestam sibi sustentationem subtrahens culpandus sit, nec à noxa immunis existat; de parsimoniali tamen hoc peculio liberè ad quoscunque usus disponere potest: eò quod pars reddituum beneficii ad honestam sustentationem beneficiati necessaria sit vera ac propria

merces iustumque stipendium pro officio & obsequio Ecclesie præstito necessarium, *cap. cum secundum, 16. de præbend.* Quilibet autem de laboris sui mercede pro arbitrio suo disponendi habet facultatem.

Quæres sextò. An beneficiati bonorum Ecclesiasticorum: quantum ad partem, quæ ad honestam sustentationem necessaria non est, Dominium acquirant?

ꝛ. Beneficiati non solum peculii patrimonialis & quasi patrimonialis, sed etiam profectitii, sive quorumcunque Ecclesiasticorum reddituum ex beneficiis suis perceptorum veri sunt Domini. Jura enim, ut *cap. unic. de Cleric. non resident. in 6. Trident. sess. 22. cap. 3.* Dicunt Clericos non residentes non acquirere Dominium fructuum, ergo econtrario residentes Dominium acquirunt. Idem *Trident. sess. 23. de Reform. cap. 1. & Sess. 24. de Reform. cap. 12.* Disponit beneficiatos non residentes fructus non facere suos, amittere, non lucrari: lucrari autem & facere suum est acquirere Dominium.

Quæres septimò. An beneficiati de fructibus honestam sustentationem excedentibus testamentum condere valeant?

ꝛ. Est fundamentalis quasi Juris Canonici sanctio, quod beneficiati de bonis Ecclesie aut beneficii acquisitis testandi careant facultate. Ita enim statuitur *cit. Can. firmum, 4. caus. 12. q. 4.* Episcopus (idem est de quolibet alio beneficiato) quascunque res de facultatibus Ecclesie, aut suo, aut alterius

nomine qualibet conditione comparaverit, non in propinquorum suorum, sed in Ecclesie, cui præest, jura deveniunt. Idem decernitur *cap. 1. cap. cum in Officiis, 7. cap. ad hæc, 5. cap. relatum, 12. de testament.* Rationem dat *cit. cap. cum in Officiis.* Quia in officiis charitatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. Unde cum bona acquisita per Ecclesiam immediatè proveniant Clerico intuitu ipsius Ecclesie, nullus Clerico hæres videtur proximior, quam Ecclesia, quæ ipsum Domino sociavit, ut dicitur in *cap. Presbyteri, 2. de pænis.* Ubi notandum, quod, ut inquit *Gloss. in cap. presenti. de Offic. Ordinari. in 6. Verb. reservari.* Beneficiatus comparetur usufructuario, dum vivit, ita ut moderatas donationes in causas pias facere possit: dum autem infirmari incipit, comparetur usuario, ita ut nihil habeat, nisi usum tantum. Eleemosynarum tamen facere potest, colligitur ex *cap. ad hæc de testament.* Viventes & sui compotes moderatè valent aliqua de bonis ipsis non ratione testamenti, sed eleemosynæ intuitu erogare in agritudine constituti. & *cap. relatum. cit. ibi:* Licet mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint: consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Porro in partibus nostris, si beneficiatus decedat intestatus, ejus relicta cedunt Fisco Ordinarii.

Quæ-

Quæres octavo. An beneficiati reditus honestæ sustentationi superfluos in quoscunque usus applicare possint?

R. Est communis cùm Theologorum tùm Canonistarum sententia, quod beneficiati bona Ecclesiastica, siue reditus honestam sustentationem excedentes adeoque superfluos ad pias causas tempore vitæ suæ applicare teneantur. Hinc Trident. sess. 25. de Reform. cap. 1. omninò Episcopis aliisque beneficia Ecclesiastica tam Regularia quàm Sæcularia obtinentibus interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuunt: eas autem non distrahant nec dissipent illorum causâ: sed omnem humanum hunc erga Fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant. In hoc Decreto Concilium antiquos canones renovare voluit: Sic enim statuitur *Can. quisquis. 19. caus. 12. q. 2.* Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus habeat sollicitudinem, & dispense eas, tanquam DEO contemplante. Non liceat autem ei defraudare quidquam ex illis, vel cognatis propriis donare, quæ DEI sunt. Quod si pauperes fuerint, ut pauperibus largiatur: sed non sub horum occasione, quæ sunt Ecclesiæ, defraudentur. *Can. indignè. 21. ibid.* Valde iniquum & ingens Sacrilegium est, ut quæcunque vel pro remedio peccatorum,

vel salute, vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit, in aliud transferre, vel converti permittatur. Nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas, sine aliqua pietatis consideratione dispergit. *Can. fin. caus. 16. q. 1.* ibi: Quoniam quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes, susceptioni peregrinorum & hospitem invigilare debent, maxime curandum est illis, ut de decimis & oblationibus Cænobiis & Zenodochiis, qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant. Qui bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, Sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt. Unde bona Ecclesiastica dicuntur patrimonium Christi, *cap. cum secundum. 16. de præbend. cap. cum ex eo. 34. de elect. in 6.* Quapropter communiter tradunt Doctores, quod fideles Fundatores, qui bona illa Ecclesiis locisque piis pro sustentatione ministrorum Ecclesiasticorum ad cultum divinum, in remedium suarum animarum primitus obtulerunt, id cum tacito vel expresso pacto fecerint, ut quod decenti sustentationi Clericorum superest, ad cultus divini augmentum, in usus causasque pias convertatur: ideoque beneficiati, bona prædicta in profanas causas expendentes, aut alienantes, contra justitiam peccare videntur, non satisfaciendo fundatorum inten-

tioni : nec ullâ contuetudine aut statu-
to sunt excusandi,

Quæres nonò. An hæredes, Legatarii,
Donatarii & similes, qui à Beneficia-
tis bona ecclesiastica acceperunt, ad re-
stitutionem obligentur?

R. Probabilius videtur, quod non.
Quantumvis enim beneficiati obliga-
tionem justitiæ habeant, præfata bona
in usus pios expendendi; hæc tamen
obligatio personalis potius quam realis
esse videtur: nec præcisè ipsa bona,
quorum verum dominium ipse Cleri-
cus, sicut usufructuarius fructuum, na-
ctus est, illo affecta sunt onere; ut
patet in simili, quo debitor bona illa,
quibus creditori ex justitiâ satisfacere
tenetur, alienando peccat contra justiti-
am; in quem tamen per alienatio-
nem dominium transtulit, ea restituere
minimè obligatur.

Quæres decimò. Ad quod peculium
pertinent bona ab Ecclesiastico acqui-
sita?

R. Si Rector Ecclesiæ aliusque Be-
nificiatus tempore promotionis nihil
aut parùm patrimonii habuit, prædia
sive bona ab ipso postea empta ex ec-
clesiasticis redditibus acquisita præsu-
muntur. Unde ad Ecclesiam, utpote
inter bona ecclesiastica numeranda, spe-
ctare extra dubium est, *cap. 1. cap. ut
unusquisque. 3. cap. inquirendum. 4. de pe-
cul, Cleric. & hæredibus hæc bona alio*

honesto titulo acquisita esse probatio
incumbit.

Quæres undecimò. Quis in bonis à
Beneficiato relictis succedit?

R. Si bona à Beneficiato relictæ, vel
honestæ artis exercitio acquisita, eidem
donata, aut ratione personæ obvenisse
constat, non Ecclesia, sed consanguinei
ab intestato succedunt: si hi non exi-
stant, hæreditas ad Ecclesiam, in qua
fuit beneficiatus, devolvitur. *can. fin.
caus. 12. q. 5.* Quod si in diversis Eccle-
siis beneficia possederit, per æstima-
tionem congruam inter ipsas hæreditas
est dividenda. *cap. relatum. 12. de testa-
ment.* De consuetudine tamen, ut su-
pradictum, bona ecclesiastica Benefi-
ciati, si intestatus decesserit, Filicum
sibi arrogare videmus.

Quæres duodecimò. Ad quem melio-
ramenta, quæ Prælatus aut Beneficia-
tus in bonis Ecclesiæ fecit, pertinent?

R. Quamvis Prælatus aut alius Be-
nificiatus tempore vitæ illis meliora-
tionibus à se factis frui possit; post
mortem tamen, nisi aliter cum Eccle-
sia contraxerit, apud Ecclesiam manere
debent. *cap. si quis. 5. de pecul. Cleric.*
ita quidem ut hæredes factas in melio-
rationes expensas repetere neque-
ant, eò quod ex superfluis be-
nificii fructibus factæ,
vel Ecclesiæ donatæ
censeantur,



TITULUS XI.

D E

Sepulturis.

Quæres primò. An fideles in loco sacro sint sepeliendi?

R. Licet non obstitit justis sepultura nulla vel vilis, nec impiis celebris & speciosa proffit, ut dicitur in *cap. sacris. 12. §. unde si. de sepult.* ex ordinatione tamen matris Ecclesiæ fideles in communione ejus defuncti in loco sacro sepeliendi sunt, tum propter patrocinium Sanctorum, qui in eo coluntur, tum propter Ministrorum Ecclesiæ aliorumque fidelium preces, qui ad commendandas defunctorum animas ibi conveniunt. Nam, ut inquit Gregor. in *cap. cum gravia. caus. 13. q. 2.* cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem loca sacra veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundent.

Quæres secundò. In quo loco sacro defunctus est sepeliendus?

R. Si defunctus sepulturam non elegerit, in sepulchro Majorum suorum sepeliendus est. *can. Ebron. 2. can. unigueque. 3. caus. 13. q. 2. cap. cum quis. 2. de sepult. in 6.* Si quis autem nec sepulturam elegerit, nec proprium sepulchrum habet, in sua parochia est se-

pelendus, *cap. ex parte 5. cap. cum liberum. 6. cap. in nostra. 10. de sepult.*

Quæres tertio. An quilibet relicta propriâ parochiâ & Majorum sepulturâ in quolibet loco religioso sepulturam sibi eligere valeat?

R. Si aliquod Monasterium Apostolicum habeat privilegium, ut ibidem fideles sibi sepulturam eligere valeant, quilibet aliâs sepulturam eligendi capax, relicto Majorum aut Parochiali sepulchro sepulturam in eo sibi eligendi obtinet facultatem. *cap. fraternitatem. 3. cap. in nostra. 10. de sepult. cap. cum quis. 2. eod. in 6.* Hæc privilegia mendicantes Ordines habent, ita ut in Ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis liberam habeant sepulturam, videlicet quod omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis & Ecclesiis eorundem. *Clement. dudum. 2. de sepult. Extrav. super cathedram. cod. vinter com.* Hoc specialiter est advertendum, quod si Regulares in civitatem vel Parochiam admissi singularia cum Rectoribus Parochialium Ecclesiarum pacta fecerint, ne ullos aut certos fideles etiam apud ipsos sepulturam eligentes sepelirent, hujusmodi pacta, quibus suis privilegiis renuntiârunt, sunt servanda, ut

ut habet textus expressus in *cap. 1. de pactis. in 6.*

Quæres *quartò*. Quinam sepulturam sibi eligendi habent libertatem?

R. Quilibet legitimam adeptus ætatem, sive sit vir sive mulier, sepulturam sibi eligere potest, dummodò specialiter à Jure non prohibeatur; electio enim sepulturæ est ultimæ pars voluntatis. *cap. cum liberum. 6. de sepult. can. ultima. 4. caus. 13. q. 2.* Hinc primò mulier conjugata sepulturam sibi eligere potest, quamvis ad tempus vitæ sub viri potestate sit constituta, *cap. de uxore. 7. de sepult.* Si tamen absque electione discedat, cum viro ultimo sepelienda est. *cap. is qui. 3. §. mulier. de sepult. in 6.* Secundò filiusfamilias pubes, quamvis sub patria sit potestate, sepulturam sibi eligit, infra annos pubertatis pater de consuetudine filio impuberi sepulturam assignat. *cap. licet. 4. de sepult. in 6.* Tertio. Licet Religiosi sepulturam sibi eligendi careant potestate, sed apud sua Monasteria sint tumulandi, *cap. fin. de sepult. in 6.* si tamen Religiosus in loco à Monasterio remoto moriatur aut infirmetur, ita ut ad Monasterium commodè non valeat deportari, sepulturam sibi eligere, vel in loco propinquiori sepeliri potest. *cit. cap. fin. cap. nimis. 16. de excess. Pralat.*

Quæres *quintò*. Quid Parochianæ debetur Ecclesiæ, si Parochianus alibi sepulturam elegerit?

R. Si Parochianus extra propriam Parochiam eligit sepulturam, parochiali Ecclesiæ portio debetur canonica de redditibus Ecclesiæ, in qua defunctus se-

pelitur. *cap. 1. cap. certificari. 9. cap. in nostra. 10. de sepult. cap. cum quis. 2. eod. in 6. Clement. dudum. 2. eod. Extrav. inter cunctas. 1. de privileg. inter com.* De quantitate istius portionis canonice standum est locorum consuetudini. *cit. cap. certificari.* quia aliquando media pars, ut in *cap. relatum. 2. de sepult.* aliquando tertia, aliquando quarta pars dicitur esse persolvenda. Hæc canonica portio ex omnibus illis rebus, quæ Ecclesiæ, in qua sepelitur, ratione funeris obveniunt, ut de cereis, oblationibus, ornamentis &c. in die sepultura adhibitis, est deducenda. Solvitur autem Parocho ideo, quia qui fuerunt socii passionum, debent esse & consolationum, *2. Cor. 1.* Parochi autem sustinent onera divina officia celebrandi, parochianis, dum vivunt, Sacramenta administrandi, eos instruendi &c. quare justum est, ut per electionem sepulturæ in alia Ecclesia debitum non defraudentur obsequiis; cum ille, qui Altari servit, de Altari vivere debeat. *cap. cum secundum. 16. de prebend.* Excipe, nisi Religiosus, apud quos sepultura eligitur, Ecclesiæ parochiali portionem canonicam de funeralibus non solvendi privilegium habere noscantur. De quo *Trident. sess. 25. de reform. cap. 13.*

Quæres *sextò*. Quid si quis alienum parochianum, qui proprium sepulchrum non habet, sepeliverit?

R. Qui alienum parochianum, qui nec proprium sepulchrum habet, nec alibi sepulturam elegit, sepelivit, Ecclesiæ parochiali corpus tumulatum cum omnibus iis, quæ occasione sepulturæ rece-

recepit, restituere debet. *cap. ex parte. §. cap. cum liberum. 6. cap. in nostra. 10. de sepult.*

Quæres *septimò*. An aliquem ad eligendam sepulturam inducere licitum sit?

R. Ad tollenda scandala, & commotiones inter Parochos & alios Clericos sive sæculares sive regulares sedandas, in *cap. animarum. 1. de sepult. in 6. in virtute S. obedientiæ*, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè prohibetur, ne per Religiosos vel Clericos sæculares aliquis ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ promittendum inducatur, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligat, vel jam electam non immutet; Electio sic facta, declaratur invalida, & taliter eligentes non obstante juratâ promissione, sepeliendi sunt apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs sepulturâ non electâ forsitan decessissent. Quod si facta sepultura in Ecclesia per inductionem electa, cadaver tumulatum cum omnibus, quæ ratione sepulturæ obvenerunt, est restituendum. Hæc constitutio Bonifacii VIII, renovata est in *Clement. cupientes. 3. de penis. adjunctâ excommunicatione Papæ reservatâ.*

Quæres *octavò*. An Religiosi defunctos, qui apud ipsos sepulturam elegerunt, propriâ autoritate ad suas Ecclesias deferre possint?

R. Ex constitutione speciali Leonis X. in *Concil. Lateran. Primò* Religiosi cum cruce ad levanda funera eorum, qui in suis Ecclesiis sepulturam elegerunt, *R. D. Schmorrenberg Instit. J. Can.*

runt, nisi præmonito & requisito Parocho, parochiam intrare non possunt. *2dò*. Quod si requisitus Parochus consentire nolit, aut præsens esse recuset, Regulares corpus defuncti ad suam Ecclesiam deferre possunt. *3tid*. Præsens in die sepulturæ Parochus funus antequam efferatur, in domo benedicere, & usque ad Ecclesiam sepulturæ conducere debet. *4tid*. Postquam funus ad Ecclesiam sepulchralem deductum, officia divina facere pertinet ad Rectores illius Ecclesiæ, in qua corpus tumulatur.

Quæres *nonò*. An pro sepultura aliquid exigi possit?

R. Pro sepultura in Ecclesia præstanda nihil exigi debet. *cap. abolenda. 13. de sepult. cap. plerique. 7. de pactis. cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesia. 9. de simon.* Ratio est: quia ipsa benedictio sepulturæ adhærens emi censetur. Aliàs laudabiles consuetudines, juxta quas fideles Ecclesiæ, in qua sepeliuntur, oblationes faciunt, sunt servandæ. Quamvis enim pravæ exactiones prohibeantur, pias tamen consuetudines observari præcipitur. *cap. ad Apostolicam. 42. de simon.*

Quæres *decimò*. Quinam ecclesiasticâ privantur sepulturâ?

R. Omnes fideles, nisi specialiter prohibeantur, ecclesiasticâ sunt honorandi sepulturâ. Specialiter autem prohibentur *primò* omnes non baptizati, *can. Ecclesiam. 27. & 28. de consecrat. dist. 1. 2dò* hæretici eorumque fautores, *cap. sicut air. 8. cap. excommunicamus. 13. §. credentes de heretic. cap. quicumque. 2. eod. in 6. 3tid*. Qui per integrum annum

F f f

non

non confessi, & tempore paschali Eucharistiam non sumplerunt. *cap. omnis utriusque* 12. de *pœnitent. & remiss.* 4^{to}. Qui in torneamentis vel in duello occumbunt. De quo *Tridentin. sess. 25. de reform. cap. 19.* si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiasticâ sepulturâ. 5^{to}. Manifesti usurarii. *cap. quia in omnibus. 3. de usur. cap. quanquam 2. eod. in 6.* 6^{to}. Religiosi inventi proprietarii in sterquilinio sunt sepeliendi. *cap. Monachi. 2. cap. super quodam. 4. cap. cum ad monasterium. 6. de statu Monach.* 7^{imo}. Qui decimas ad Ecclesiam pertinentes non restituit. *cap. prohibemus. 19. de decimis.* 8^{vo}. Nominatim excommunicati aut interdicti. *Clement. 1. de sepult. cap. sacris. 12. eod. nisi ante mortem pœnitentiam egerint. cap. 15. eod. 20. de sentent. excom. in 6.* 9^{no}. Notoriè excommunicati. Quamvis enim de facto per *Extrav. Martini V. ad evitanda.* Fideles cum excommunicatis nondum denunciatis tam vivis, quàm mortuis communicare possint: quia autem illud solum in favorem fidelium statutum est; idèd si aliquem excommunicatum in excommunicatione pertinaciter defunctum esse constat, quantumvis nondum denunciatus sit, ab ecclesiastica sepultura arceri potest. Colligitur ex *vit. cap. sacris. 12. de sepult.* Aliud est, si ante mortem petiverit, & à quocunque Sacerdote absolutionem acceperit. *cap. fin. de sepult.* 10^{mo}. Qui violentas manus sibi inferendo seiplos occiderunt, & manifestum sit, id ex tædio vitæ aut desperatione factum. *can. placuit. 12.*

caus. 23. q. 5. 11^{mo}. Qui in notorio & certo peccato impœnitentes decedunt *cap. ex parte. 11. de sepult. junct. gloss. verb. communicabatur.*

Quæres undecimò. Quid faciendum, si indignus sepulturâ ecclesiasticâ in loco sacro sepeliatur?

1^o. Si excommunicatus denunciatus, aut notorius Clerici percussor, aut infidelis, in loco sacro sepeliatur, Ecclesia vel cæmeterium polluitur, & corpus sepulti, si ossa ab aliis ossibus fidelium discerni possint, exhumari, & procul ab ecclesiastica sepultura jactari debent. *cit. cap. sacris. 12. de sepult. & antequam ibidem alii sepeliantur, cæmeterium aut Ecclesia polluta prius est reconcilianda. cap. consulisti. 7. de consecr. Eccles. cap. unic. eod. in 6.* Quod juxta sententiam probabilem non est extendendum, si alii indigni hic non specificati in loco sacro sepulti fuerint; quia pœnæ ad casus non expressos haud sunt extendendæ.

Quæres duodecimò. Quæ indignos in loco sacro sepelientium pœnæ?

1^o. Omnes sive exempti sive non exempti, qui in casibus à Jure non concessis indignos sepulturâ ecclesiasticâ, ut tempore interdicti, vel publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos &c. scienter in loco sacro sepelire præsumunt, pœnam excommunicationis incurrunt. *Clement. 1. de sepultur.*

* *
*

TITU.

TITULUS XII.

D E

Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

Quæres primò. Quid sunt Decimæ, Primitiæ, & Oblationes?

R. Decimæ sunt decima pars fructuum aut proventuum, DEO in recognitionem universalis domini debita, ipsius Ministris ob spirituale ministerium solvenda. Dividuntur decimæ in prædiales, & personales. Prædiales solvuntur de fructibus agrorum, vinearum, pratorum, &c. & sunt vel majores, ex frumento, vino &c. vel minores ex fœtibus animalium, & vocantur decimæ sanguinis, ex lana, ovis, rapis, leguminibus hortorum &c. Decimæ personales sunt, quæ ex lucro, industria personarum acquisito deductis expensis solvuntur.

2dò. Primitiæ sunt primorum pars certa fructuum, qui ex agris & animalibus DEO in signum gratitudinis offeruntur. De his agitur in *can. revertimini. 65. caus. 16. q. 1.* Primitiarum origo à S. Hyeron. in *cap. 1. de decimis* describitur.

3tò. Oblationes sunt largitiones gratuita, quas fideles pro peccatis in Ecclesia vel Altari, vel diebus liberis, vel certis anni temporibus, ut circa Pascha, Pastoribus offerunt. De quibus *can. quia sacerdotes. 13. caus. 10. q. 1.* Sunt quidem oblationes arbitrariæ à libera

offerentium voluntate dependentes: attamen si Parochiani ex consuetudine tempore paschali aut anniversaria festorum celebriorum die, defunctorum sepulturis, anniversariis, aliisque de requiem Sacrificiis inter Missarum solemnia oblationes facere consueverint, justè ad laudabilis consuetudinis observantiam compelli possunt, ut loquitur *cap. ad Apostolicam. 42. de simon.*

Quæres secundò. Quo jure decimæ Ministris Ecclesiæ debentur?

R. Quoad substantiam decimæ debentur jure divino: DEO enim in recognitionem supremi debentur domini. *cap. tua nobis. 26. cap. cum non. 33. de decimis.* Ex jure naturali & divino pro alimentis Ministrorum Ecclesiæ solvendæ sunt. *cap. cum secundum. 16. de præbend.* Hinc meritò dicit Tridentin. *sess. 25. de reform. cap. 12.* Decimarum solutio debita est DEO: attamen quoad formam videlicet, quod in tali quantitate, de talibus agris, ex talibus fructibus, tali modo numerando, ex uno agro in alium, vel non, est ex merito jure ecclesiastico, vel consuetudinario, quod contrario statuto, privilegio, aut aliâ consuetudine tolli aut minui potest. *cap. dilecti. 8. cap. ad audientiam. 12. de decimis.*

F f f 2

Quæ-

Quæres tertio. Quinam decimas solvere obligantur ?

R. Omnes cuiuscunque Ordinis & dignitatis, nisi specialem exemptionem allegare valeant, solvere decimas tenentur. *cap. ex transmissa. 23. cap. à nobis. 24. de decimis.* in specie primò omnes Parochiani. *cap. parochianos. 14. cap. tua nobis. 26. cap. in aliquibus. 32. de decimis.* 2dò. Etiam Judæi & Pagani de prædiis, quæ à Christianis possessoribus ad illos emptione aliòve titulo devenerunt, decimas solvere debent. *cap. de terris. 16. de decimis. cap. quantò. 18. de usur.* Ratio est: quia à tempore, quo parochiæ distinctæ, prædia intra fines parochiæ existentia onus solvendi decimas annexum habent: quod onus, quia reale, ad quemcunque transit possessorem. 3tò. Clerici in aliena parochia prædia titulo patrimoniali possidentes absque dubio ad decimas obligantur. *can. si quis laicus. 42. caus. 16. q. 1.* quin & de bonis beneficialibus in aliena parochia sitis, aut bonis dotalibus alicujus Ecclesiæ in aliena parochia existentibus solvendæ sunt decimæ: quia, ut dicitur in *can. quicumque. 44. caus. 16. q. 1.* omninò providendum, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur. *cap. novum. 2. de decimis.* ubi dicitur, novum esse exactiōnis genus, quod Clerici Clericis decimas dare compellantur, intelligendum est, quòd Clerici ex suis decimis decimas dare non obligentur. 4tò.

Religiosi sive exempti, sive non exempti, de prædiis, quæ conducunt, decimas dare tenentur. *cit. cap. dilecti. 8. de decimis.* Item de prædiis noviter acquisitis, si illa antea ad decimas obligata fuerunt. *cap. commissum. 4. cap. nuper. 34. de decimis.* & *cap. 2. §. caterùm. eod. in 6.* Quamvis Regulares à decimis ex hortis, nutrimentis animalium, & novalibus, quæ propriis manibus aut sumptibus faciunt, de jure communi sint immunes. *cap. ex parte. 10. de decimis.*

Quæres quarto. Qualiter à solutione decimarum fieri potest exemptio ?

R. A solutione decimarum quis eximi potest modis sequentibus: primò per privilegium, quod tamen Princeps sæcularis impertiri nequit. Imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divinâ constitutione debentur. *cap. tua. 25. de decimis.* neque Episcopus, sed solus Papa. *cit. cap. ex parte.* Privilegium exemptionis à decimis, quia odiosum, & parochiale continet præjudicium, strictè est interpretandum, & idè ad novalia non extendendum; quinimò si Ecclesiæ parochiali valde damnosum, est revocandum. *cap. suggestum. 9. de decimis.* & *cap. 2. eod. in 6.* etiam per non usum, aut contrarium 30. vel 40. annorum usum amittitur. *cap. si de terra. 6. cap. accedentibus. 15. de privileg.* sicut etiam per compositionem. *cap. dilecti. 8. cap. suggestum. 9. cap. nuper. 34. de decimis.*

2dò.

2dò. Per consuetudinem, quæ si sit circa modum, quantitatem, certos fructus, modum numerandi &c. sufficit consuetudo decennalis: decimæ enim juxta approbatam loci consuetudinem solvendæ sunt. *Cap. commissum. 4. cap. dilecti. 8. cap. cum sint homines. 18. cap. in aliquibus. 32. de decimis.* Qui decimatori contrariam opponit consuetudinem, eam probare tenetur. *Cap. fin. de consuetudine. cap. cum Ecclesia. 3. de caus. possess. & propriet.*

3tò. Per præscriptionem cum titulo: quia est contra Ecclesiam; immemorabilem sine titulo: *Cap. 1. de præscript. in 6.* Etiam Laicus exemptionem à decimis præscribere potest: quamvis enim jus activum decimandi habere non possit, juris tamen exemptionis à decimis incapax non est.

4tò. Per cessionem: ita Parochus monasterio pro jure alio speciali jus decimandi cedere potest. *Cap. ex multiplici. 3. de decimis.* Attamen ad talem transactionem, compositionem, vel cessionem, ut sit perpetua, Superioris Ecclesiastici consensus requiritur & auctoritas. Pecuniâ aut alio temporali jus solvendi decimas redimi non posse, constat ex *cap. fin. de rerum permutatione.*

Quæres quintò. Quibus decimæ sunt solvendæ?

1. imò. Regulariter Parocho soli debentur decimæ, & hic habet intentionem fundatam decimas ex omnibus agris intra limites suæ Parochiæ situatis percipiendi. *Can. si quis Laicus. 42. Can. statuimus. 55. caus. 16. q. 1. cap. cum contingat. 29. cap. cum in tua. 30. de decimis.*

Etiam contra Episcopum, *cap. fin. de Paroch. exceptis decimis, quæ sunt intra fines Ecclesiæ Cathedralis. Cap. dudum. 21. de decimis.* Aut quæ sunt in nullius Parochia. *Cap. quoniam. 13. ibid.*

2dò. Spoliatus à Parocho decimis intra parochiam existentibus, quamvis possessionem probaverit, restituendus non est, donec titulum quoque probet, est textus notabilis in *cap. ad decimas. 2. de restitut. spoliat. in 6.*

3tò. Decimæ prædicales Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines prædia existunt, sunt persolvendæ. *Cap. fin. de Parochiis.* Nisi aliud habeat consuetudo. *cap. ad Apostolica. 20. de decimis.* Decimæ personales solvendæ sunt Ecclesiæ, in qua audiuntur divina, & Ecclesiastica percipiuntur Sacramenta.

4tò. Ex agris novalibus (Novalia dicuntur, si ex terra nunquam vel ab immemoriali tempore non culta fiat ager, *cap. 1. cap. quid per novale. 21. de Verb. signif.*) decimæ Parocho solvi debent, intra cujus parochiæ fines novale existit. *Cap. cum contingat. 29. de decimis.* Quamvis alius in Parochia jus decimandi præscripserit, aut ex Privilegio jus decimandi habeat. Dixi: *Si ex terra nunquam culta ager fiat:* Si enim sola terræ cultura mutetur, ut pratium convertitur in agrum, eodem modo, sicut antea, decimæ solvi debent. *Cap. commissum. 4. de decimis.*

5tò. Propter malitiam Clericorum, vel Parochorum, aut eorum abundantiam decimæ ipsis justè denegari non possunt. *Cap. tua nobis. 26. de decimis.*

Quæres sextò. Quomodo alter à Parocho

rocho jus decimandi intra Parochiam acquirere potest?

R. Ecclesia vel persona Ecclesiastica intra fines alterius Parochiæ jus decimandi acquirere potest modis sequentibus. 1^{mo}. Concessione Summi Pontificis. *Cap. 2. de decim. in 6.* 2^{do}. Si Laicus cum consensu Episcopi Monasterio vel alteri Ecclesiæ à Parochiali distinctæ decimas Ecclesiasticas donet. Colligitur ex *cap. dudum. 31. de decimis.* 3^{to}. Per compromissum aut compositionem amicabilem partibus de jure decimandi inter se controversis. Idem est de transactione. 4^{to}. Permutatione, cum persona ecclesiastica vel Ecclesiasticâ ejusdem conditionis decimas commutare possit. 5^{to}. Unione Ecclesiæ Parochialis cum Collegio, Monasterio, vel dignitate. 6^{to}. Præscriptione quadragenariâ. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. de præscript. cap. 1. eod. in 6.*

Quæres septimò. Quomodo Laici decimas habere possunt?

R. 1^{mo}. Laici juris decimandi, utpote juris spiritualis, sunt incapaces, ita ut nec eas retinere, nec obtentas in alios transferre possint. *Can. pervenit. 13. caus. 1. q. 3. Can. decimas. 1. caus. 16. q. 7. cap. ad hæc. 15. cap. prohibemus. 19. de decimis. cap. 2. eod. in 6.* Ex quo sequitur, quod cum Laici decimas possidere non valeant, nec easdem, quocunque tandem tempore illas tenuerint, præscribere possint. *Cit. cap. prohibemus.*

2^{do}. Ante Concilium Lateranens. sub Alexand. III. Anno 1179. celebratum Episcopi aliique Prælati Ecclesiarum ad remuneranda Principum Sæcularium

Ecclesiæ præstita obsequia, & pro potenti Ecclesiarum suarum protectione Laicis decimas Ecclesiasticas in feudum dare solebant: sed cum hoc modo præcipua redituum Ecclesiæ portio paulatim ex manibus Patronorum devolveretur, ac per Successionem in manus adversariorum & luporum deveniret, in præfato Concilio Generali Statutum fuit, ut nullus Episcopus aut inferior Prælati jus decimandi in manus Laicas sub quocunque titulo impostero dare vel transferre possit. *Cap. quamvis. 17. cap. prohibemus. 19. de decimis. cap. 2. §. sanè. eod. in 6. cap. Apostolica. 7. de his, quæ fiunt à Prælato.*

3^{to}. Si Laici de facto decimas possideant, illas ante dictum Concilium Lateran. in feudum habuisse præsumuntur, dummodò possessionem, quæ hominum memoriam excedat, probare possint. *Gloss. in cap. 1. de præscript. in 6. Verb. memoria.*

4^{to}. Decimæ, quas Laici ante Concilium Lateranens. ab Ecclesiis in feudum habuerunt, post dictum Concilium in alios Laicos, etiam consentientibus Ecclesiæ Prælati, transferri nequeunt, juxta expressum textum in *cap. prohibemus. 19. de decimis.* Quamvis tales decimæ cum consensu Episcopi è manibus Laicalibus ad aliam Ecclesiam transire valeant. *Can. in Sacris. 56. caus. 16. q. 1. cap. cum & plantare. 3. de Privileg. cap. 2. §. sane. de decimis. in 6.* Et hac occasione Collegia & Monasteria tam amplas decimas à fundatoribus vel dotis augmentatoribus obtinuerunt. An autem Ecclesia decimas ante Concilium

in

in feudum datas, si feudum Ecclesiæ per extinctionem familiæ aperiatur, eas iterum alteri Laico in feudum conferre possit, magna est controversia. Legistæ ex *cap. 2. de feudis*, tuentur affirmativam; addunt in Germania esse consuetudinem, quod decimæ Laicales, hoc est: illæ, quæ ante Concilium Lateran. à Laicis acquisitæ, sicut cætera bona secularia, valeant alienari.

Quæres *ottavo*, De quibus rebus & fructibus solvendæ sunt decimæ?

R. *1mo*. Decimæ personales solvuntur de omni lucro justo, ex mercimonio, arte, scientia, & qualibet industria acquisito. *Can. quicumque. 4. caus. 16. q. 7. cap. ad Apostolica. 20. de decimis*. Verum hæ personales decimæ in hisce partibus extra usum sunt, ac per oblationes, quæ vel annuatim, vel in administratione Sacramentorum fiunt, suppleantur. *2do*. Decimæ prædiales de omnibus terræ fructibus, & animalium fœtibus solvendæ sunt. *Cap. nuntios. 6. cap. ex parte. 12. de decim.* De facto tamen fructus, qui in specie sint decimandi, docet consuetudo. *Cap. dilecti. 8. cap. ad Apostolic. 20. cap. in aliquibus. 32. de decimis*.

Quæres *nono*, Quomodo decimæ sunt solvendæ?

R. De jure communi *1mo* de decem partibus una est decimatori præstanda. *Cap. cum homines. 7. de decimis. 2do*. Decimæ prædiales statim, postquam fruges collectæ, solvi debent. *Git. cap. cum homines*. Decimæ personales in fine anni præstantur. *3tio*. Decimæ prædiales ad horreum Parochiale Parochianorum

sumptibus sunt devehendæ. *Can. reverentini 65. caus. 16. q. 1.* De consuetudine contrarium practicatur. *4to*. Decimæ prædiales solvendæ in manipulis jam collectis in natura, nullâ factâ deductione expensarum, seminis, sumptuum, tributorum, censuum. *Cap. tua nobis. 26. cap. Pastoralis. 28. de decimis*. Personales decimæ deductis solvuntur expensis: solvuntur enim de lucro ex industria obtento, quale nullum est, nisi deductis expensis: *5to*. Decimæ solvendæ sunt fideliter, ita ut nec optima, nec pars pejor pro decima obturatur.

Quæres *decimo*, Quæ decimas defraudantium pœnæ?

R. De his ita loquitur *Trident. Sess. 25. cap. 12*, Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt, cum decimarum solutio debita sit DEO, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Qui eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur. Concordat *cap. ex parte. 21. & cap. in aliquibus. 32. de decimis*.

Quæres *undecimo*, Quas pœnas Regulares, qui sunt causa, quod debitæ Ecclesiis decimæ non solvantur, specialiter incurrunt?

R. Vel Religiosi ipsimet decimas non solvunt, aut defraudant, ut novalia, aliâsque decimas ex suis bonis Ecclesiæ debitas sibi appropriando, vel
suis

fuis animalibus à decimis liberis aliorum animalia immiscendo, aut non permittendo, vel prohibendo, ne coloni ex agris, quos excolendos eis dederunt, decimas solvant, si sint in officiis, ab eisdem suspenduntur: aliàs sunt excommunicati.

2^{da}. Sunt causa moralis, quod alii decimas non solvant, si vel in concionibus aliquid dicant, unde audientes à decimarum solutione rerrahuntur: & tunc excommunicationem de facto incurrunt: aut si consentibus sibi de solvendis decimis conscientiam non faciant; & tunc ab officio prædicationis suspensi manent, donec consentibus conscientiam fecerint, excommunicationis sententiam incurfuri, si prædictâ negligentia non purgatâ prædicare præsumpserint. Quæ pœnæ continentur in *Clement. 1. de decimis.* & *Clement. cupientes. de pœnis.*

Quæres *duodecimò*. Ad quem spectant oblationes?

2^a. Oblationis nomine intelligitur, quidquid in Ecclesia quocunque modo sive intra sive extra Missarum soleunia, sive intra sive extra Ecclesiam offertur. *Cap. cum inter. 29. de V. S.* Hæ oblationes, quas fideles ex propriis & licitis rebus faciunt, ad Ecclesiam, intellige Parochialem pertinent, nisi constet de alia offerentium voluntate, nec à Laicis absque Sacrilegio sibi appropriari possunt. *Can. quia Sacerdotes. 13. Can. Sanctor. 14. caus. 10. q. 1. cap. causa. 13. de V. S. Trid. Sess. 25. de Refor. cap. 12.* Hortatur omnes & singulos pro Christiana charitate, debitòque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi à DEO collatis Episcopis & Pastoribus, qui tenuioribus præfunt Ecclesiis, largè subvenire (intellige per oblationes pingues) ad DEI laudem, atque ad Pastorum suorum qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.



TITU.

TITULUS XIII.

DE

Religiosis domibus, & Capellis Monachorum.

Religiosa domus est quilibet locus pius auctoritate Episcopi erectus, sive sit consecratus, ut Ecclesie & Oratoria, sive non, ut hospitalia. Locus pius vocatur, in quo operam pietatis & charitatis exercentur, ut Xenodochia, in quibus peregrini pauperes suscipiuntur, Nosocomia, in quibus infirmis servitur, Orphanotrophia, in quibus pueri orphani educantur &c. Capellæ Monachorum sunt Ecclesie à Monasteriorum Ecclesiis separatae, in quibus Regulares Sacramenta administrant.

Quæres primò. Cui Religiosæ domus sunt subjectæ?

R. Omnes Religiosæ domus Episcopo intra cujus Dioccesim existunt, sunt subjectæ, ita ut Episcopus, si constet, vel domum Religiosam in sua Dioccesi situatam esse probari possit, super omnibus juribus Episcopalibus fundatam habeat intentionem; nisi locum illum speciali præscriptionis jure, aut Privilegio Apostolico exemptum esse ostendatur. *Can. omnes Basilica. 10. caus. 16. q. 7. cap. cum olim. 18. de præscript. cap. constitutus. 6. cap. cum Venerabilis. 7. cap. cum dilectus. 8. de Religios. domib. Si du-*
R. D. Schmorrenberg Instir. J. Can.

bitetur de aliqua Ecclesia, in cujus Diocesi sita sit, tunc ea illi subjecta est Episcopo, qui antequam Ecclesia illa edificaretur, incolis illius loci Sacramenta baptismi & confirmationis administravit. *Cap. 1. de Religios. domib.*

Quæres secundò. Cui Episcopo subjecta est Ecclesia, quæ Ecclesie alterius Diocesis unita fuit?

R. Talis Ecclesia manet subjecta Episcopo, in cujus Diocesi existit. *Cap. quia Monasterium. 2. de Religios. domib.* Papa enim per Privilegium aut gratiæ concessionem alterius Episcopi juribus derogare non intendit: ideoque Monasterium vel Ecclesia, cui incorporatio facta, jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diocesi Ecclesia unita existit, respectivè tantum in iis, quæ ad Ecclesiam alterius Diocesis Episcopo subjectam pertinent, subjicitur.

Quæres tertio. An Episcopus Regularem suæ Diocesis Ecclesiam in sæcularem mutare valeat?

R. Nulli Prælato Papæ inferiori Monasteria in quibus Religiosi vivunt, ad statum sæcularem reducendi competit facultas. *Cap. inter quatuor. 5. de Religios. domib.* Ratio est: ne in via DEI,

G g g ia

in qua de virtute in virtutem ascenden-
dum est, descensus fiat, uti fieret, si
Monasterium aliquod sæcularizetur:
ideoque si Monasterium desolatum re-
staurandum sit, aut reformandum, id
hoc ordine fieri debet. 1^{mo}. Reforma-
tio per Religiosos ejusdem Monasterii
est instituenda. 2^{do}. In eorum defectu
ex aliis ejusdem Ordinis Monasteriis Re-
ligiosi Stricteris observantiæ sunt evo-
candi. 3^{io}. Si nec illi haberi possint,
reformatio per Religiosos alterius Or-
dinis fieri debet. *Cap. relatum. 7. ne Cle-
rici vel Monach.* 4^{to}. Si reformatio per
Regulares institui nequit, sæculares
Clerici in locum Regularium sunt col-
locandi. *Gloss. in cit. cap. inter quatuor.
Verb. Regulares.*

Quæres *quarto*. An hospitalia sint be-
neficia?

R. Hospitalia non sunt beneficia,
quapropter eorum administratio tam
Clericis sæcularibus, quam etiam Laicis
committi potest, nisi Ecclesiæ vel be-
neficio Ecclesiastico accessorie unita fo-
rent. Si tamen hospitalia & similia lo-
ca pia autoritate Episcopi fuerint ere-
cta, eorum Administratores Episcopo
quotannis suæ administrationis ratio-
nem reddere tenentur, ac ab Ordinariis
visitari possunt. *Trident. Sess. 22. de Re-
form. cap. 8. & 9.*

Quæres *quinto*. An loca pia absque
autoritate Episcopi erecta eidem nihi-
lominus sint subjecta?

R. Quamvis talia loca domus Reli-
giosæ non sint: ideoque Episcopi Juris-
dictioni directè non subjiciantur; quia
tamen Episcopus omnium piarum fun-

dationum est Executor, prædicta lo-
ca Ordinarius inquirere & visitare
potest, an juxta piam fundatorum in-
tentionem bona deputata debite admi-
nistrantur, & applicentur, quia juxta
cap. tua nobis. 17. de testam. In omnibus
piis voluntatibus per locorum Episco-
pos providendum, ut secundum defun-
cti voluntatem univèrsa procedant. In
cap. de Xenodochiis. 3. de Relig. dom. Man-
datur, ut per sollicitudinem Episcopo-
rum, in quorum Diocesi existunt, ad
easdem utilitates, quibus constituta
sunt, ordinentur, sive applicentur. His
conformiter *Trident. Sess. 25. de Reform.
cap. 8.* Ordinatur, ut si hospitalia ad cer-
tum peregrinorum aut infirmorum u-
sum, aut aliarum personarum genus
suscipiendum fuerint instituta, nec in
loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes
personæ, aut perpaucae reperiantur, ut
fructus illorum in alium pium usum,
qui eorum intentioni proximior sit, ac
pro loco aut tempore utilior, conver-
tantur.

Quæres *sexto*. An Episcopus permit-
tere possit, ut in sua Diocesi novus Or-
do Religiosus, aut nova Congregatio
Religiosa instituantur?

R. Antiquitus Ordines primò ab
Episcopis, in cujus Diocesi habebant
Monasteria, approbabantur: modò nul-
li Religiosi Ordines absque Summi Pon-
tificis autoritate institui possunt, ex
Decreto Concilii Lateranensis in *cap. fin.
de Relig. dom. & Concil. Lugdunens. in
cap. unic. eod. in 6.*

Quæres *septimo*. Quot modis Capella
vel Ecclesia Monasterio subjecta esse po-
test?

R. Qua-

R. Quatuor modis sequentibus:
 1. Tantum quoad jus Patronatus, quod Monasterium vel ex fundatione, vel ex collatione Patroni habet: & tunc Prælato Monasterii Clericum sive Regularem sive sæcularem tantum jus competit præsentandi, pro beneficii qualitate. Illud enim ex hoc, quod jus Patronatus penes Monasterium sit, beneficium regulare non est. 2. Capella vel Ecclesia Monasterio solum quoad temporalia subijcitur, quando videlicet decimæ aliique redditus temporales Monasterio sunt assignati, jure instituendi penes Episcopum, & præsentandi penes Superiorem Regularem remanente. De quo in *Can. sane. 6. caus. 16. q. 2.*
 3^{to}. Capella Monasterio pleno jure est subiecta, quando præter jus percipiendi redditus temporales, etiam administratio Spiritualium, seu cura animarum in Monasterium est translata. 4^{to}. Ecclesia Parochialis Monasterio plenissimo jure est subiecta, quando Prælatus etiam jurisdictionem quasi Episcopalem in Parochianos exercet. De quo *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 11. in fine.*

Quæres octavo. Ex quibus causis Capella seu Ecclesia Monasterio subijci potest?

R. Ex quatuor causis, 1^{mo}. Ex fundatione, quando interveniente Episcopi autoritate eâ lege Capella est fundata, ut per viros Religiosos talis cœnobii illi deserviat. *Arg. Can. qua se mel. 4. caus. 19. q. 3.* 2^{do}. Ex Privilegio, cujus tenor & forma diligenter inspicienda. *Cap. porrò, 7. de Privileg.*

3^{to}. Unione, quia Ecclesia Monasterio per Episcopum vel Papam est unita. *Cap. Sicut unire. 8. de excess. Prælat. Clement. si una. 2. de reb. Eccles. non alien.* 4^{to}. Præscriptione quadragenariâ cum titulo, & immemoriali sine titulo. *Cap. auditis. 15. cap. cum olim. 18. de præscript.*

Quæres nono. Quam Prælatus Monasterii in Capella quoad temporalia Monasterio subiecta obtinet potestatem?

R. Rectorem ad illam præsentare potest, quem præsentatum Episcopus instituit, & institutus à Prælato directè destitui nequit, sunt clari textus in *cap. Monachis. 12. cap. in Lateranensi. 31. de Præbend. cap. in Ecclesiis. 1. de Capellis Monach.* Dixi: Directè: quia si Rector ab Episcopo in Ecclesia Monasterio subiecta institutus persona sit regularis, indirectè per revocationem ad claustrum beneficio privari potest: quia Monachus in Capella suo Monasterio subiecta existens manet Prælati sui obedientiaris, & consequenter revocabilis est.

Quæres decimo. Quam potestatem in Capella pleno jure Monasterio subiecta Prælatus exercet?

R. Tunc Prælatus etiam quoad spiritualia Ecclesiæ per Vicarium vel perpetuum vel temporalem, sive ad nutum amovibilem providere debet. *Arg. Clement. unic. de excess. Prælat.* Unus autem Religiosus solus in tali Capella poni non debet, *Cap. fin. de Capell. Monach.* Cujus ratio datur in *cap. Monachi. 2. de Statu Monach.* Ne Religiosi soli inter Sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Sa-

lomone dicente : Væ soli , quia cum ceciderit , non est , qui subleuet eum.

Quæres *undecimò*. Quam Episcopus in Regulares in Capellis Monasterio unitis degentes habet jurisdictionem ?

R. Quamvis tales personæ aliàs sint exemptæ ; in iis tamen quæ ad curam animarum sæcularium spectant , Episcopo subjiuntur. *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 11.* Ita disponit : *1mò*. In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum , quibus imminet animarum cura personarum sæcularium , præter eas , quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum Familia , personæ tam Regulares quàm Sæculares hujusmodi curam exercentes , subsunt immediatè in iis , quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent , Jurisdictioni , Visitationi , & correctioni Episcopi , in cujus Diocesi sunt sita. *2dò*. Nullus in talibus Capellis Rector aut Vicarius etiam ad nutum amovibilis deputari potest , ni-

si de consensu Ordinarii , ac prævio examine per eum aut ejus Vicarium faciendo. *3tò*. Exemptis iis Monasteriis seu locis , in quibus Abbates , Generales , aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent , atque aliis Monasteriis seu domibus , in quibus Abbates , aut alii Regularium superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent.

Quæres *duodecimò*. Quales redditus in Capellis Monasterio unitis Rectoribus assignandi ?

R. Assignanda est iis portio congrua , id est tanta , ut honestam sustentationem Vicarii consideratis qualitatibus personæ , simulque ad hospitalitatem erga pauperes , juraque Episcopalia solvenda sufficiat. *Cap. de Monachis. 12. cap. extirpanda. 30. de Præbend. Trident. Sess. 6. de Reform.*

cap. 2. & Sess. 7. de Reform.

cap. 5.



TITULUS XIV.

DE

Jure Patronatûs.

JUS Patronatûs, ut in præfenti sumitur, est Clericum ad beneficium vacans instituendum præfentandi facultas. Dividitur primò in Ecclesiasticum, quod Collegio Ecclesiastico, vel beneficiato ratione Ecclesiæ aut beneficii competit: sæculare, quod ex titulo sæculari obtinetur: & mixtum, quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonii habetur. 2dò. In hæreditarium, quod ad quemcunque transit hæredem, & gentilitium, quod certæ tantùm competit Familiæ. 3tò. In personale personis solùm, & reale rebus immobilibus adhærens. 4tò. In jus Patronatûs activum, quando beneficium conferri non potest, nisi talis præfenter, & passivum, quando beneficium conferri nequit, nisi talis, ex tali Familiâ, tali Patriâ, &c. sit præfentatus.

Quæres primò. Quomodo acquiritur jus Patronatûs?

R. Acquiritur imò. Fundatione ab eo, qui fundum suum, ut in eo Ecclesiâ ædificaretur, dedit. *Can. decernimus. 32. caus. 16. q. 7. cap. nobis. 25. de jure Patron. 2dò. Edificatione, sive qui Ecclesiâ cum consensu Ordinarii propriis sumptibus construxit, vel destru-*

etiam reædificavit. *Cit. cap. nobis. 3tò. Dotatione, qui redditus pro Ecclesiâ ejûsque ministris dedit. Can. filiis. 31. caus. 16. q. 7. Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 9. Præterea jus Patronatûs Privilegio & præscriptione acquiri potest. De quibus Trident. loc. cit.*

Quæres secundò. Quibus modis jus Patronatûs acquisitum in alterum transfertur?

R. Transfertur imò successione in hæredes universales. *Cap. ex literis. 7. de jure Patron. Clement. 2. eod. Vel si certæ rei annexum, in particularem rei illius Successorem. Si plures sint hæredes diversorum Patronorum Originalium, omnes non in capita, sed in stirpes succedunt. Cit. Clementin. 2. 2dò. Dotatione: Sic Patronus Laicus Laico compatrono, vel Ecclesiæ, aut Monasterio, absque Episcopi consensu, jus Patronatûs dare potest. *Cap. illud. 8. de Jurepat. cap. unic. eod. in 6. Non tamen alteri Laico, vel Clerico, aut personæ privata. 3tò. Permutatione, quando jus Patronatûs cum altero jure Patronatûs, interveniente Ordinarii auctoritate, permutatur. *Cap. quesitum. 5. de rerum permut. Aut etiam absque Ordinarii consensu, res temporales, qui-***

Ggg 3 bus

bus jus Patronatûs annexum, inter se permutantur. 4^{to}. Venditione: quamvis enim jus Patronatûs per se vendi nequeat, *cap. de jure. 16. de jure Patron.* Ac tales venditores jure Patronatûs in pœnam priventur, *Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 9.* Annexum tamen rei temporali accessoriè vendi potest. *Arg. cap. cum seculum. 13. de jure Patron.* Et hoc modo transit quoque cum fundo dotali, feudali, emphyteutico in maritum, Vassallum, & Emphyteutam, non tamen in creditorem, qui fundum, cui jus illud annexum est, in hypothecam habet.

Quæres tertio. Qui juris Patronatûs sunt capaces?

R. Omnes fideles. *Can. pia mentis. 26. & sequent. caus. 16. q. 7.* Infidelibus & hæreticis exclusis.

Quæres quarto. Quæ inter jus Patronatûs ecclesiasticum differentia?

R. Hæc consistit in sequentibus. 1. Patronus ecclesiasticus ad præsentandum sex menses habet, *Cap. eam te. 22. de jure Patron.* Laicus verò tantùm quatuor. *Cap. cum propter. 27. de jure Patron. cap. unic. eod. in 6.* In Patronatu mixto uterque Patronus, si simul præsentant, semestre habet. *Gloss in cit. cap. unic. Verb. Ecclesiasticus. 2^{do}.* Factâ præsentatione à Patrono Ecclesiastico, ille variare non potest; Laicus verò & variare, & à se præsentato alium adjungere potest, quo casu electio est penes Ordinarium instituentem. *Cap. quod autem. 5. cap. cum autem. 24. cap. Pastoralis. 29. de jure Patron. 3^{to}.* Patronus Ecclesiasticus indignum scienter

præsentans eâ vice jure præsentandi est privatus: non tamen patronus Laicus, juxta probabilem, cum textum non habeamus expressum. 4^{to}. In unionibus, reservationibus, susceptione reservationum Papa juri Patronatûs ecclesiastico derogat, non tamen Laico, nisi id exprimat: quia, ut inquit *Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 9.* Patronorum jura tollere, piâsque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est. 5^{to}. Beneficia Parochialia juris Patronatûs Laici concursui non subjiciuntur, sicuti Parochiæ juris Patronatûs Ecclesiastici, nisi hæc essent Vicariæ solùm perpetuæ. *Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 18.*

Quæres quinto. An Patronus se ipsum præsentare possit?

R. Negativè. *Cap. fin. de institut. cap. per nostras. 26. de jure Patron.* Tum quia præsentatio sui ipsius sapit ambitionis vitium, & nullus se ingerere debeat ecclesiasticæ prælacionis officiis, *Cit. cap. per nostras.* Tum quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio. *Cit. cap. fin. de institut.*

Quæres sexto. Si sint Patroni plures ac in præsentando discordes, quis ex præsentatis præferendus?

R. 1^{mo}. Si plures sint Patroni per modum unius Collegii, tunc etiam necessariò omnes ad præsentationem vocandi, & omnibus citatis ac vocatis præsentandus majora votantium, id est, ultra medietatem præsentantium vota habere debet. *Arg. cap. Ecclesia vestra. 48. de Elect. 2^{do}.* Si jus Patronatûs competat pluribus, ut singulis, sufficit,

cit, quod præsentatus majora respectu aliorum præsentatorum vota habeat, quantumvis majora respectu omnium, sive ultra dimidium omnium patronorum vota non habeat. *cap. quoniam. 3. de jure patron.*

Quæres septimò. Quid juris, si Patroni inter se de jure patronatûs litigant?

R. Si patroni de possessorio inter se litigent, nullo in notoria possessione existente, elapsis quatuor mensibus, si sint patroni laici, & sex mensibus, si patroni ecclesiastici, Ordinarius pro illa vice beneficium vacans conferre potest. *cap. quoniam. 3. cap. cum propter. 29. de jure patron.* ne propter discordiam patronorum incommodum Ecclesia patiat, ex hoc tamen illi præjudicium non generatur, qui jus evicerit patronatûs. *2dò.* Si de petitorio agitur, tunc illius subsistit præsentatio, penes quem est possessio: quamvis eum postmodum in petitorio lite cadere contingat. *cap. consuetudinibus. 19. de jure patron.*

Quæres octavò. Quam patronus in Ecclesia patronata habet præeminentiam?

R. Præter præsentationem patronus jus habet honoris & alimentationis, honor in præcedentia, processionibus, loco in Ecclesia digniori consistit. *c. n. pietatis. 26. caus. 16. q. 7.* Jus alimentationis in eo constitit, quod patronus ad inopiam deveniens ab Ecclesia vitæ temporalis subsidia percipiat. *can. contra sanctorum. 29. can. quicumque. 30. caus. 16. q. 7. cap. nobis. 25. de jure patron.*

Quæres nonò. Quæ onera patrono incumbunt;

R. Duo potissimum patrono incumbunt onera: primo enim invigilandum illi, ne bonæ Ecclesiæ à ministris malè administrantur vel dilapidentur. *can. filiis. 31. caus. 16. q. 7. 2dò.* Ecclesiam tanquam illius Advocatus in- & extra judicium defendere debet. *cap. præterea. 23. cap. cum autem. 24. de jure patron.*

Quæres decimò. An patroni in Ministros Ecclesiæ aliquam habeant potestatem?

R. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3. prohibet, ne patroni in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, ullatenus se ingerant, neque visitationi ornamentorû Ecclesiæ, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus sese immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat.

Quæres undecimò. An Patroni aliquod onus temporale Ecclesiæ vel Ministris ejus imponere possint?

R. Extra fundationem nec Ecclesiæ, nec ejus Ministris vel minimam pensionem, aut onus temporale vel spirituale imponere possunt. Patet ex *cap. præterea. 23. de jure patron.* & titulo Juris Canonici; ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.

Quæres duodecimò. Quomodo jus patronatus extinguitur?

R. Modis sequentibus. 1mò per liberam Patroni remissionem. *can. unic. de jure patron. in 6. 2dò.* Totali Ecclesiæ destructione sine spe recuperationis. *3tò.*

Si

Si Patronus Ecclesiam patronatam in Collegiatam vel Monasterium converti patiatur; in his enim non præsentatio sed electio locum habet. *cap. nobis. 25. de Jurepatr. 4to.* Emortuâ familiâ Jus Patronatûs gentilitium emoritur. *5to.* Cessât Jus Patronatûs per unionem, quâ Ecclesia patronata cum consensu Patroni alteri unitur Ecclesiæ, *6to.* Per non usum temporis ad præscriptionem requisiti, si intereâ saltem bis Rector sine præsentatione est institutus. *7imo.* In pœnam, si Patronus Rectorem aut

alios Ecclesiæ patronatæ Ministros per se vel alios occidere aut mutilare præsumpserit. *cap. in quibusdam. 12. §. sacri de pœnis. 8vo.* Si Patronus fiat Hæreticus. *9no.* Si Patronus perceptioni fructuum sese ingerat, contra prohibitionem Tridentini *sess. 22. de reform. cap. 11. 10mo.* Si Patronus Jus Patronatûs simoniacè vendat, aut alio modo illicito transferat. *Tridentin. sess. 25. de reform. cap. 9.*

* *

T I T U L U S XV.

D E

Censibus, Exactionibus, & Procuracionibus.

Quæres primò. Quid in præsentati nomine Censûs?

R. primo. Est pensio de proventibus Ecclesiæ vel Monasterii Prælati in signum subjectionis, vel Patroni in recognitionem beneficii canonicè imposita. De hoc agitur in *cap. constitutus. 6. de religiof. domib. cap. præterea. 23. de jure patronat. cap. omnis. 2. cap. cum Canonicis. 26. de censibus.*

Quæres secundo. Quis hunc censum imponere potest?

R. primo. Summus Pontifex, ad quem juxta *cap. licet. 2. de præbend. in 6.* omnium Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio nosci-

tur pertinere, quibuslibet Ecclesiis quæcunque censum imponendi habet facultatem. *cap. recepimus. 8. de privileg. cap. constitutus. 6. de Religiof. domib.*

2do. Episcopus jura Episcopalia remittens censum imponere potest; cum insolitum sit, nec novum, ut cum Episcopi Ecclesias concesserint piis locis, aliquid sibi reservent in eis nomine pensionis. *cit. cap. constitutus.*

3to. Patronus cum consensu Ordinarii licitè censum moderatum imponit. *cap. præterea. 23. de jure patron.*

4to. Ecclesia matrix in dismembratione annuam sibi pensionem ab Ecclesia filiali solvendam in signum materni

ternj honoris & subjectionis reservare potest.

Quæres tertio. An Episcopus pro erectione & sustentatione Seminarii censum imponere possit?

R. Tridentinum sess. 23. cap. 18. de re-
form. amplissimam Episcopis & loco-
rum Ordinariis, omnibus locis piis,
Studiolorum Seminariis, & Fratribus
S. Joannis Hierosolimitanis, duntaxat
exceptis, tam exemptis, quam non
exemptis censum alumnaticum pro e-
rectione Seminarii Episcopalis & Cle-
ricorum in eis conversantium susten-
tatione imponendi tribuit potestatem?

Quæres quarto. Quid est exactio?

R. Expensio, quæ de redditibus Ec-
clesiasticis in subsidium ab Episcopo,
ex justa causa, moderatè & extraordi-
riè exigitur: ex quo subsidium chari-
tativum vel donum gratuitum appel-
latur. De quo in cap. cum Apostolus. 6.
de censibus.

Quæres quinto. Quanam ad justam
subsidii charitativi exactionem condi-
tiones requiruntur?

R. Sequentes: primò ut dicitur in
cit. cap. Apostolus, debet esse manifesta ac
rationabilis causa, 2dò cum charitate
moderatum, 3tò necessitatis auxilium,
4tò habito respectu ad personarum,
expensarum, reddituum &c. circumstan-
tias determinatum.

Quæres sexto. Quis & à quibus sub-
sidium charitativum exigere potest?

R. primò. Solus Episcopus subsidi-
um charitativum pro necessitatibus, quæ
aliquando superveniunt, postulare po-
R. D. Schmorrenberg Instit. J. Can.

test: Archidiaconi verò sive Decani
nullas exactiones sive talias in Presby-
teros sive Clericos exercere præsumant.
cit. can. cum Apostolus. Requiritur au-
tem, ut Episcopus cum Capitulo suo
de subsidii necessitate consilium ad mi-
nus & consultationem habeat.

2dò. Ad subsidium charitativum laici
compelli nequeunt, can. quia cognovi-
mus. 6. caus. 10. q. 3. nec Clerici non
beneficiati. arg. cap. conquerente. 16.
de offi. Ordinarij. est enim onus mixtum
personis Ecclesiasticis in ordine ad Ec-
clesias & beneficia, quæ possident, ad-
hærens.

Quæres septimò. Quid est Synoda-
ticum seu Cathedralicum?

R. Nomine Cathedralici intelligun-
tur duo solidi. cit. cap. conquerente. qui
juxta Canonistarum computum sunt
duo aurei, quos singulis annis infe-
riores Ecclesiæ Episcopo in signum sub-
jectionis & recognitionis, honorem-
que Ecclesiæ Cathedralis solvere tenen-
tur. can. placuit. caus. 10. q. 3. ubi hi
duo solidi dicuntur honor Cathedræ E-
piscopalis.

Quæres octavò. Quanam Ecclesiæ ca-
thedralicum solvere debent?

R. Cathedralicum omnes Ecclesiæ
sæculares, non tamen Regulares sol-
vere tenentur. can. inter cetera. 8. caus.
10. q. 3. Nihilominus Capellæ & Pa-
rochiæ sæculares, quibus Religiosi præ-
sunt, licet eorum Monasteriis pleno
jure sint unitæ, vel incorporatæ, Ca-
thedralicum Episcopo solvere obligan-
tur. cap. pastoralis. 7. de donationi. cap. de

H h h

Mo-

Monachis. 12. de præb. Clement. 1. de censib. Gloss. in cit. can. inter cetera. verb. solutionis.

Quæres nono, Quid est Procuratio?

R. Est expensarum & sumptuum pro victu honestaque sustentatione necessariorum tempore visitationis contributio, illis Superioribus, qui Ecclesias visitant, de jure præstanda. De qua Cap. cum Apostolus 6. cap. procuraciones, 23. cap. venerabili. 24. cap. cum nuper. 25. de censib. & cap. 1. 2. & 3. eod. in 6. Trident. sess. 24. de reform. cap. 3. Quantumvis enim Visitatores aliàs sufficientes obtineant redditus, quia tamen nemo cogitur stipendiis propriis militare, nec magnum sit, si, qui spiritualia seminat, metat carnalia, ita moderata procuratio debita est, ut contra eam, quæ ratione visitationis debetur, nequidem præscribi queat; quemadmodum nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, ut loquitur cap. cum ex officio. 16. de præscript.

Quæres decimo, Quinam procuraciones solvere tenentur?

R. Omnes Ecclesiæ ac Monasteria subiecta ad procuraciones præstandas obligantur; nisi ab hoc onere specialiter fuerint exempta. cap. conquerente. 16. de offic. Ordinar. cit. cap. cum ex officio. 16. de præscript. Etiam si longissimo tempore procuracionis obsequium non impenderint; cum in talibus præscriptio sibi locum nequeat vendicare, quia nos à provisione pastoralis sollicitudinis circa omnes Ecclesias nunquam omnino

cessamus, inquit Innoc. III. in cap. cum instantia. 17. de Censib.

Quæres undecimo. Quinam ab onere procuracionis præstandæ deobligantur?

R. primo. Ecclesiæ per speciale privilegium Sedis Apostolicæ à præstatione procuracionum exemptæ. cit. cap. cum instantia. 2do. Oratoria privata, quamvis autoritate Episcopi erecta, cap. fin. de censib. 3to. Hospitalia aliaque pia loca pro infirmis aut pauperibus de licentia Episcopi erecta, ut apud Fagn. declaravit S. Congregatio. 4to. Ecclesiæ, quæ sunt in loco Residentiæ Episcopalis, aut illius Superioris, qui visitat; colligitur ex Tridentin. loc. cit. dum loquitur de visitatione, quæ fit per Diocesim, nec meminit Civitatis Metropolitanæ. 5to. Ecclesiæ in Diocesi, ubi procuracionem visitantibus non exhibendi universalis viget consuetudo Trident. loc. cit. 6to. Ecclesiæ pauperes, quarum redditus ad procuracionum præstationem insufficientes sunt, quo casu videtur populus pauperis Ecclesiæ parochialis ad procuraciones exhibendas obligari; sicut enim populus Ecclesiam in hoc casu ædificare, conservare, eidemque de sufficientia providere tenetur, ita quoque onus procuraciones solvendi portare debet.

Quæres duodecimo. Quæ forma ac moderatio in procuracionibus præstandis servanda?

R. Varia variè de hac moderatione Jura statuerunt Ecclesiastica, ut cap. cum Apostolus. 6. cap. cum instantia. §. sanè. cap.

cap. Procuraciones. 23. de Censib. cap. 1. 2. & 3. eod. in 6. Hæc omnia tamen Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 3. in unum Decretum novissimè collegit, ita disponens: Monentur omnes & singuli, ad quos irritatio spectat, ut paternâ charitate, Christianoq; zelo omnes amplectantur; ideòque modesto contenti equitatu famulatùque studeant quàm celerrimè, debitâ tamen cum diligentâ, visitationem ipsam absolvere: interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosiq; sint, nevé ipsi, aut quisquam suorum quidquam procuracionis causâ pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderatèque pro temporis tantùm necessitate, & non ultra erunt ministran-

da. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum, an verò prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisque piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat; in iis verò locis seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiat, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta constitutionem Concilii Generalis Lugdunensis, quæ incipit: *Exigit.* (hæc refertur in cap. 2. de Censib. in 6.) nec non & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ, mulctetur.

* *
* *



TITULUS XVI.

D E

Consecratione Ecclesiæ vel Altaris.

Quæres primò. Quid est Ecclesiæ vel Altaris consecratio?

R. Consecratio Ecclesiæ vel Altaris est Ecclesiastica cœremonia, quâ Ecclesia vel Altare à Legitimo Ministro, interveniente debitâ materiâ & formâ, juxta præscriptos Ecclesiæ ritus, DEO dedicatur. Ritus ille Ecclesiæ & Altaria consecrandi ex lege veteri suam trahit originem; ut enim dicitur *Can. tabernaculum, 2. dist. 1. de Consecrat.* Judæi loca, in quibus sacrificabant Domino, divinis habebant supplicationibus consecrata: nec in aliis quàm DEO dicatis locis munera Domino offerebant. Si Judæi, qui umbræ legis deserviebant, hæc faciebant, multò magis nos, quibus veritas patefacta est, & gratia per JESUM Christum data est templa Domino, ædificare, &, prout melius possumus, ornare, eaque divinis precibus, & Sanctis Unctionibus suis cum Altaribus & vasis, vestibibus quoque & reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devotè & solemniter sacrare, & non in aliis locis, quàm in Domino Sacratissimas Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus.

Quæres secundò. Quænam est causa efficiens seu Minister consecrationis?

R. Minister Ordinarius solus est Episcopus consecratus. *Can. interdicimus, 10. caus. 16. q. 1. Can. nullus Presbyter, 15. & 25. de Consecrat. dist. 1.* Debet autem esse Episcopus proprius, hoc est illius Diœcesis, in qua est sita res consecranda. *Cap. cum Venerabilis, 7. de Relig. dom.* Episcopus alterius Diœcesis absque localis Episcopi licentiâ consecrans ab exercitio pontificalium per annum suspenditur. *Trident. Sess. 14. de Reform. cap. 2. & sess. 23. de Reform. cap. 8.* Ex Privilegio Ecclesiæ & Altaria propria consecrare possunt Abbates privilegiati, usum baculi & mitræ habentes, ideòque ab Episcopo talibus Altarium & Ecclesiarum in sua Diœcesi committi potest consecratio.

Quæres tertio. Quid in consecratione Ecclesiarum à consecratore observandum?

R. Sequentia primò, Ecclesiis dedicatio impendi potest tam diebus Dominicis quàm privatis. *Cap. tua Fraternitas, 2. de Consecrat. Eccles.* Tres tamen ultimi dies hebdomadæ sanctæ & solemnitates Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini & Epiphaniæ à quibusdam Canonistis excipiuntur, eò quod nec privati, nec dies sint Domini.

2dò.

2dò. Ecclesia sine prævia congrua dotis assignatione consecranda non est. *Cap. cum sicut. 8. de Consecr. Ecclies.* Consecrans absque dote assignata eam sup- plere cogitur.

3tò. In consecratione ter Ecclesiam eam aspergendo consecrator circumire debet ; quia tamen ritus asperisionis ad formam consecrationis non pertinet , Ecclesia incensari potest , ubi aspersio servari nequit.

4tò. Post consecrationem celebranda est Missa in Ecclesia consecrata, quæ Missa non necessariò à consecratore , sed si ipse nimis fatigatus , ab alio dicenda est.

5tò. Ecclesia semel consecrata de novo consecrari nequit. *Can. Ecclesiis. 20. de Consecr. dist. 1.* In dubio , an Ecclesia consecrata sit , si consecrationis non appareant indicia , est consecranda. *Can. solemnitates. 16. Can. Ecclesia. 18. de Consecr. dist. 1.* Consecratio Ecclesie per scripturam in libro , pariete , aut lapide reperta probatur. *Cit. Can. solemnitates. junct. Gloss. Verb. scriptura.*

6tò. Pro consecratione Ecclesie à consecratore nihil exigi potest : & si exigat , tam ipse quàm dantes Simoniam committunt ; procuracionem tamen exigere potest. *Cap. cum sit. 10. de Simon.*

7tò. Singulis annis Anniversaria consecrationis dies cum Octava est celebranda. *Cit. Can. solemnitates.* Potestatem habet Consecrator determinandi Anniversariam consecrationis diem , si dies dedicationis non placet ; in ipso autem consecrationis actu fieri debet

dici hujus determinatio , ut declaravit S. Rituum Congregatio.

Quæres quarto. Quid est Ecclesie execratio.

R. Ecclesia execratur , quando ita Sanctitatem moralem per consecrationem acceptam amittit , ut novâ indigeat consecratione. Duo autem potissimum sunt casus , in quibus execratur Ecclesia. 1mus. Si integre sit exusta , ita , ut parietes interiores fuerint combusti , vel devastati , & abradi ex toto vel majori ex parte. *Can. Ecclesiis. 20. de Consecr. dist. 1.* Ecclesia tamen , si de novo dealbetur , consecrationem non amittit , ideòque nec iterum est consecranda. 2dus. Quando vel ex toto vel majori ex parte simul Ecclesia destruitur , cum enim tunc consecrationis pereat subjectum , ipsam consecrationem perire necesse est. Si tamen parietes templi secundùm modicas ejus partes successivè reficiantur , consecratio non amittitur ; quia partes paulatim additæ præcedenti fabricæ incorporantur , & unum unitate morali perseverat.

Quæres quinto. Quid est Ecclesie pollutio ?

R. Ecclesie pollutio est macula quædam legalis à Jure Canonico introducta , vi cujus Ecclesia consecrata vel benedicta ob factum indecens in eadem patratum reputatur maculata , & locus indecens , ut in ea Missæ Sacrificium offeratur. Per sequentia autem facta Ecclesie pollutio inducitur.

1mò. Per publicam sanguinis humani ex Corpore vivo in notabili quanti-

H h h 3 tate

rate cum injuria in Ecclesia facta effusionem. *Can. Ecclesis. 20. de Consecrat. dist. 1. cap. pro posuisti. 4. de consecrat. Eccles.*

2do. Per homicidium voluntarium & liberum, Ecclesiae injuriosum & publicum. Sufficit autem quod in Ecclesia lethale vulnus defunctus acceperit, quamvis ante mortem ex Ecclesia sit delatus. Hinc occisio sui ipsius, rei ad Ecclesiam fugientis, imò & Martyris polluit Ecclesiam. Econtra occisio facta ob justam & necessariam defensionem propriam, servato moderamine inculpatae tutelae, Ecclesiam non polluit, eò quod actio illa, quam jura concedunt, Ecclesiae non sit injuriosa.

3to. Per voluntariam & notoriam seminis humani effusionem modo illicito factam. *Cap. fin. de Consecr. Eccles.* In quo *cap.* notanda particula: *cujuscunque*, quae cum universalis, comprehendit omnes homines sive fideles sive infideles, sive viros sive foeminas, & in unoquoque haec actio habet gravem difformitatem Sanctitati & reverentiae Ecclesiae debitae contrariantem. Hinc non tantum pollutio, fornicatio, adulterium, & quaecunque luxuriae consummatae species, sed etiam actus matrimoniales, si extra casum necessitatis fit, Ecclesiam polluit, cum sit contra loci sanctitatem id in eo exercere, quod facere pudet coram hominibus.

4to. Per quamcunque publicam sepulturam Pagani, haeretici, excommunicati denuntiati, aut publici percussoris Clerici in Ecclesia vel Coemeterio factam, *Can. Ecclesiam. 27. & 28. de Con-*

secrat. dist. 1. cap. consulisti. 7. de Consecrat. Eccles. Nec tunc Ecclesia reconciliari potest, antequam exhumata fuerint hujusmodi male tumulorum corpora. *Cap. Sacris. 12. de Sepult. cap. ad haec. 5. de Privileg.* Ex sepultura tamen Catechumeni & infantis non baptizati ex parentibus tamen fidelibus nati non polluitur Ecclesia.

Quæres sextò. An Ecclesia polluta reconcilianda?

2. Ecclesia polluta reconciliari debet. *Cap. fin. de Consecrat. Eccles.* ibi: Aquâ protinus exorcizata lavetur, ne divinae laudis Organa suspendantur. Modò causa pollutionis sive actio pollutiva statim publicetur. Quod si post longum tempus tantum innotescat communitati causa pollutiva, quae non habet esse permanens, ut effusio sanguinis vel seminis, & interim divina officia fuerint in Ecclesia celebrata, non est necessariò reconcilianda: lapsu enim temporis injuria Ecclesiae facta aboletur, & contra eam praescribitur, si post datam pollutionis causam divinorum officiorum celebratio in Ecclesia continetur.

Quæres septimò. Qualiter Ecclesia polluta reconcilianda?

3. 1mo. Si Ecclesia polluta tantum sit benedicta, ex non consecrata, quicumque Sacerdos eam aquâ lustrali benedictâ à simplici Sacerdote reconciliare potest, colligitur ex *cit. cap. fin. de Consecrat. Eccles.* Ubi agens Pontifex de Ecclesia tantum benedicta & polluta, dicit, quod aquâ exorcizata protinus lavetur, cum non faciat Episcopi mentionem

tionem, innui videtur, quod Sacerdos quilibet reconciliare Ecclesiam benedictam & pollutam valeat; quia non plus requiritur ad reconciliandam, quam ad benedicendam Ecclesiam. Quemadmodum igitur simplex Sacerdos Ecclesiam benedicere potest, ita quoque pollutam reconciliare non prohibetur.

2^{do}. Si Ecclesia consecrata polluitur, ea non nisi per Episcopum, juxta *cap. Aqua. 9. de Consecr. Ecclesie*. Per Aquam cum Vino & cinere benedictam reconciliari debet, *cap. proposuisti. 4. de Consecr. Eccles.* Nec Episcopus reconciliationem Ecclesie consecratae simplici Sacerdoti delegare potest; quia ut dicitur in *cit. cap. Aqua*. Licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. Summus tamen Pontifex simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesie consecratae committere potest, & quia Prælati Regulares à Summo Pontifice privilegiati proprias Ecclesias consecratas reconciliare possunt, licet eisdem à locorum Ordinariis alienarum Ecclesiarum committitur reconciliatio.

Quæres octavo. Quid, quotuplex, & quale sit Altare?

R. 1^{mo}. Altare est illa ara, in qua incruentum offertur Missæ Sacrificium. Antiquissimum Altaris usum tam lex naturæ, quam scripta probat, *Gen. 28. & 35. Num. 7.* aliisque quam plurimis locis & quia *S. Dionys. de Eccles. hierarch. cap. 5.* Consecrationis Altarium men-

tionem facit, merito Altaria in lege nova ex Apostolorum esse institutione deducitur.

2^{do}. Altare quotuplex est: fixum & portatile: fixum est, quod in uno loco manet immobile: portatile, quod huc illuc pro necessitatis exigentia transferri potest. Altaris fixi meminit *cap. ligneis: 6. de Consecr. Eccles.* Altaris portabilis *Can. concedimus. 30. de Consecr. dist. 1. cap. fin. de Privil. in 6.*

3^{io}. Debet esse lapideum; est enim signum Christi, qui vocatur petra. Non autem requiritur, ut totum Altare sit lapideum, sed sufficit, quod ara seu mensa Superior, vel illa pars, super qua calix & patena ponitur, sit lapidea, atque adeo cum tanta latitudine & longitudine, ut calicem & patenam commodè capere possit.

Quæres nono. Ad quem pertinet Altarium erectio ac consecratio?

R. 1^{mo}. Erigere Altare ad solum pertinet Episcopum. *Can. quamvis. 4. dist. 68. Can. nullus Presbyter. 25. de Consecr. dist. 1.* Ex Privilegio Innocent. VIII. Cistercienses in propriis locis non secus ac Episcopi Altaria de novo erigere, & erecta transferre aut destruere possunt. Simile Privilegium Julius II. Abbatibus Congregationis Cassinensis concessit, adeo ut hodiè Abbates in Privilegiis communicantes nova Altaria erigere, & erecta destruere queant.

2^{do}. Consecratio Altarium soli quoque competit Episcopo. *Cir. Can. quamvis. cap. quod in dubiis. 3. de Consecr. Eccles.* & quidem Episcopo loci. *cit. Can. nullus*

nullus Presbyter. Altaria tamen Viatica seu portatilia à quocunque consecrandi potestatem habente consecrari valent ; quia enim loco affixa non sunt, eorum consecratio ad certum non pertinet consecratorem. Ex Privilegiis Summorum Pontificum Abbates usum Pontificalium habentes in propriis Ecclesiis Altaria fixa & portatilia pro usibus earundem consecrare possunt.

Quæres *decimò*. Qualiter Altaria consecrantur & profanantur ?

Re. 1mò. Altaria unctiōe Chrysmatis & benedictione juxta formam ab Ecclesia præscriptam sunt consecranda. *Can. Altaria. 31. & 32. de Consecrat. dist.*

1. Licet autem per celebrationem Missæ Sacrificii in Altari non consecrato, Altare æquivalenter Sanctificetur, secundum ritum tamen Ecclesiæ Altare taliter Sanctificatum consecrari debet. Ante Altaris consecrationem illud primò est dorandum pro congrua mantentione, sive ei providendum de necessariis pro Sacrificii oblatione. In ipsa autem consecratione Altari consecrato Sacræ Reliquiæ includi debent, colligitur ex *Can. placuit. 26. de Consecrat. dist. 1.* Mos iste ex Ecclesia primitiva ortum trahit, in qua Altaria super sepulchris S. S. Martyrum in ipsorum honorem ædificari cœperunt, ut scilicet Sacrificium, quod offerebatur DEO, in eorum gloriam redundaret.

2dò. Altare specialiter execratur *1mò.* Si mensa Altaris sive superior lapis sit contractus aut diminutus. *Cap. 1. de Consecrat. Eccles.* 2dò, Si in Al-

tari fixo mensa Superior consecrata à basi inferiori amoveatur. *Cap. quod in dubiis. 3. de Consecrat. Eccles. 3tid.* Juxta sententiam probabilem, si sepulchrum Altaris, in quo tempore consecrationis Reliquiæ sunt reconditæ, & Sigillum nuncupatur, remoto, quo clauditur, lapide, violetur. Porro casu, quo Ecclesia polluitur, etiam Altare fixum simul polluitur, pollutio enim totam afficit Ecclesiam ; Altare verò portatile, eo ipso quo tale est, cum non sit incorporatum loco, sed ex sua institutione huc illucque transferri possit, pollutâ Ecclesiâ non polluitur.

Quæres *undecimò*. Qualiter calices consecrantur, & execrantur ?

Re. 1mò. Quamvis materia Calicis in primitiva Ecclesia non fuerit determinata ; quia ut dicitur in *Can. Vasa. 44. de Consecrat. dist. 1.* Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus : modò tamen materia Calicis lignea vel vitrea esse non debet. *Can. ut Calix. 45. ibid.* Ubi statuitur, ut Calix Domini cum patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat : si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum habeat. De ære aut aurischalco non fiat Calix ; quia ob Vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo vel vitreo Calice præsumat Missam cantare. Calix sub gravi obligatione est consecrandus. *Can. unic. de Sacra unct.* Et quidem jure Ordinatio ab Episcopo, ex Privilegio

legio ab Abbatibus usum Pontificalium habentibus.

Secundò. Execratur seu consecrationem amittit calix & patena, quando franguntur, aut notabiliter suam amittunt figuram, uti etiam cætera Sacerdotalia ornamenta, quando primam figuram amittunt, in qua fuerunt benedicta, ut dum ex calula sit stola vel manipulus, ideoque novâ indigent consecratione.

Quæres duodecimò. Qualiter consecratur & execratur cæmeterium?

R. primò. Cæmeterium sive locus Episcopi autoritate ad sepelienda fidelium corpora ordinatus eodem modo consecratur, & benedicitur, quo Ecclesia, ab Episcopo proprio, vel alicno cum proprii consensu. Ecclesiâ consecratâ cæmeterium conjunctum præsumitur consecratum. Dum enim Ecclesia consecratur & benedicitur, etiam consecratur & benedicitur cæmeterium; licet quoque seorsim consecrari possit.

Secundò. Cæmeterium iisdem factis in illo patris polluitur, quibus Ecclesia. Præterea si polluitur Ecclesia, cui cæmeterium est conjunctum sive contiguum, hoc quoque polluitur.

cap. unic. de consecr. Eccl. in 6. Sic enim tanquam Ecclesiæ accessorium uaturam sequitur principalis. Si verò cæmeterium ab Ecclesia fuerit remotum, ipsum pollutâ Ecclesiâ non polluetur. Non tamen econtrario polluto cæmeterio etiam Ecclesiæ contiguo polluitur Ecclesia: ne minùs dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. Item si duo cæmeteria contigua intermedio tamen pariete sejuncta, polluto uno non polluitur alterum. *cit. cap. unic. de consecr. Eccl. in 6.* Si cæmeterium solemniter sit benedictum, per Episcopum reconciliatur. *cap. consuevisi. 7. de consecr. Eccl. in 6.* Si non sit solemniter consecratum, sed tantum benedictum, vel solum Episcopi autoritate ad fidelium sepulturam deputatum, à Parocho aquâ benedictâ reconciliari potest. Si verò cæmeterium pollutum, non per se, sed ob pollutam Ecclesiam, hâc reconciliatâ, cui cæmeterium conjunctum, reconciliatum erit etiam cæmeterium.

**



T I T U L U S XVII.

D E

Ecclesiis ædificandis, vel reparandis, earumque immunitate.

Ecclēsia in sensu morali est pluriūm hominū collectiō. Sic Ecclēsia Catholica est omnium fidelium sub uno visibili capite Summo Pontifice congregatiō. In præsentī accipitur Ecclēsia materialiter pro loco publico auctoritate Episcopali constituto, ut ad eum fideles pro recipiendis fidei Sacramentis conveniant. De hoc

Quæres primò. Quid ad Ecclēsiā requiritur ædificandā?

1. primò. Consensus Episcopi. *arg. can. nemo. 9. de consecr. dist. 1. cap. cum olim. 14. de privileg.* 2dò. Episcopus vel alius Sacerdos ex Episcopi commissione crucem figere, & primum lapidem ponere debet. *cit. can. nemo. 37d.* Ante consecrationem pro luminaribus, paramentis &c. sufficiens & congrua dos est assignanda. 4dò. Ecclēsia ædificanda in alterius maxime parochialis Ecclēsiæ præjudiciūm construi non debet. *cap. 1. de novi oper. nuntiat.* Idè si inauditis Ecclēsiæ parochialis Rectoribus nova ædificetur, novum opus ædificanti nuntiari potest: quā nuntiatione factā ab ædificio incepto statim desistere, & post nuntiationem ædificata propriis expensis destruere debet.

cap. cum ex injuncto. 2. de novi operis nuntiat.

Quæres secundo. Quænam ad novæ parochialis Ecclēsiæ ædificationem requiruntur?

1. Sequentiā. Primò. Justa causa. Sine hac enim intra limites unius Parochiæ alia ædificari nequit. Justa autem causa est, quando ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt. *Trident. sess. 21. de reform. cap. 4.* Secundo. Citari & audiri debet Parochus antiquus; quamvis dismembratio eo etiam invito, sicut & nova ædificatio fieri possit. *cap. ad audientiam. 3. de Ecclē. adij. Trident. loc. cit. 37d.* Requiritur dos competens. *Trident. ibid.* Si redditus pro antiquo & novo Parocho sufficientes non sint, Episcopus populum vel Patronos ad dandam competentiam compellere potest. 4dò. Si ex redditibus Parochiæ matricis nova fundatur Parochia, ad Rectorem Ecclēsiæ matricis pertinet Jus præsentandi. *cit. cap. ad audientiam. 5d.* Ecclēsia nova antiquæ parochiali honorem competentem exhibere tenetur, aut

an-

annuum censum dando, aut matricem annuè solemniter visitando.

Quæres tertio. Quis Ecclesiam reparare, vel collapsam incendiove destructam reedificare tenetur?

R. Cessante speciali consuetudine collapsa ex propriis fabricæ redditibus, si quos habet, reparanda est Ecclesia. His deficientibus à decimatoribus concurrentibus omnibus, qui aliquid de Ecclesiæ fructibus percipiunt, & in eorum defectum ab illis, qui in Ecclesia divina audiunt, & Sacramenta percipiunt, est restituenda. *Trident. sess. 21. de reform. cap. 7.*

Quæres quarto. Qualem Ecclesiæ habent immunitatem?

R. primo. Immunitas est Jus, quo Ecclesiæ aliaque loca sacra, nec non personæ ecclesiasticæ, ac ipsarum res liberae sunt à muneribus & oneribus secularibus, atque ab actibus earum sanctitati & reverentiæ debitæ repugnantibus. 2do. Immunitas ecclesiastica alia est localis, quâ gaudent res Ecclesiæ. *cap. Ecces. 9. de immunit. eccles.* item loca & habitacula Ecclesiæ coherentia, cœmeteria. *cap. fin. de immunit. eccles.* Alia est realis, quâ gaudent res Ecclesiæ & Ecclesiasticorum. Alia personalis, quâ personæ fruuntur Ecclesiasticæ.

Quæres quinto. Quid est jus asyli?

R. Est Ecclesiis & aliis locis sacris data immunitas, ex qua confugientes illuc malefactores securitatem habent, quòd inde violenter extrahi nequeant, nec in vita, nec in membris puniri valeant.

Quæres sexto. Quanam personæ in Ecclesia asylum habere possunt?

R. primo. Omnes fideles laici, quantumvis excommunicati. 2do. Etiam Clerici seculares contra Superiores Ecclesiasticos: quia in *cap. inter alia. 6. de immunit. eccles.* & concordantibus textibus nulla fit distinctio Laicos inter & Clericos: quamvis Religiosos contra suos Superiores ex consuetudine generali jus asyli non habere communior teneat sententia.

3to. Infideles. Jus enim asyli & privilegium locale non in personarum malefactorum, sed in loci sacri reverentiam datur & favorem.

Quæres septimo. Quæ sunt crimina excepta, seu jus asyli non habentia?

R. Ex Constitutione Gregori XIV. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*. Laicis ad Ecclesias locaque sacra & religiosa confugientibus immunitas ecclesiastica non suffragatur primo, si fuerint publici latrones. 2do viarum grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggreduuntur. 3to. Depopulatores agrorum, 4to. Qui homicidia & membrorum mutilationes in ipsis Ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur. 5to. Qui proditoriè proximum suum occiderit. 6to. Rei assassinii. 7to. Hæretici. 8to. Rei læsæ Majestatis in personam Principis. Hic

Nota. Quòd post Eximii Authoris obitum anno 1725.8. Jun. Benedictus XIII. Bullam Gregorii XIV. explicaverit per suam, quæ incipit: *Ex quo Divinâ disponente*, ac declarârit primo, quòd

unicus actus sufficiat, ut quis censeatur publicus latro, aut grassator, dummodo mors secuta fuerit. 2^{do}. Quod siue cædes aut mutilatio fiat à stante in Ecclesia aut cœmeterio in stantem extra: siue fiat à stante extra in stantem intra, sit casus exceptus. 3^{to}. Excludit ab asylo, qui ad illud confugi-entibus vim inferunt, aut violenter extrahunt aut abducunt, 4^{to}. Declarat, in assassinio non modò mandatarium, sed & mandantem asylo non gaudere. 5^{to}. Inter crimina excepta ponit homicidium præmeditatum ac deliberatum, falsificationem Literarum Apostolicarum, furta aut falsitates ministrorum montium pietatis, teloniariorum publicorum, Bancariorum pro Principibus aut personis privatis, si tantum sit delictum, ut pœnæ ordinariæ locus sit. 6^{to}. Excludit ab asylo constantes, adulterantes, tondentes quascunque monetas aureas & argenteas, & qui eas fraudis conscii expendierint. 7^{mo}. Eos qui sub nomine Curie sese introducunt in domos, animo rapinas agendi cum homicidio vel mutilatione, effectu secuto. Cognitionem, an crimen sit exceptum, locorum Ordinariis reservat, Judicibus secularibus sub Canonum pœnis eam interdicens.

Quæres octavo. Quem reus ad locum sacrum confugiens habet favorem?

8. primo. In loco sacro recipi debet, nec inde expelli potest. Reum ad Ecclesiam confugiens nemo abstrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor DEI & Sanctorum ejus conservetur, sed Rectores

Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant. *can. reum. 9. caus. 17. q. 4.* idem repetitur in *cap. inter alia. 6. de immunit. Ecclesiar. 2do.* De bonis Ecclesiæ, nisi, ipse habeat, vel à suis vitæ necessaria accipiat, sustentandus est. 3^{to}. Nemo, ne ad confugiens necessaria deferantur alimenta, impedire potest. 4^{to}. Reus nec vi nec dolo à loco asyli abstrahi valet, & nullo tenentur eventu necessitudinis, qui dominicis se defendendos commiserint claustris, *can. definit. 35. caus. 17. quest. 4.* 5^{to}. Quamdiu in loco sacro existit, per sententiam ad mortem, aliamve pœnam corporalem condemnari nequit. *can. id constituimus. 36. caus. 17. q. 4.* 6^{to}. In loco sacro rebus suis non est spoliandus. *can. sicut antiquitus. 6. ibid.*

Quæres nono. Quid si dubium, an confugiens exceptum commiserit crimen, ob quod jure asyli non fruatur? 8. primo. Tunc Rector Ecclesiæ à Magistratu seculari requisitus reum, ne elabatur, custodire debet, donec per Episcopum, an jure asyli fruatur, vel non, fiat decisio. 2^{do}. Hujus cognitio ad solum Ecclesiasticum pertinet Judicem, an reus ex qualitate personæ, loci, aut criminis commissi asyli gaudet privilegio. 3^{to}. Ut Episcopus reum ob crimen exceptum Curie seculari tradere valeat, crimen exceptum à reo commissum plenè constare debet. 4^{to}. Quando causâ examinatâ reum asylo non gaudere constat, ab Episcopo, non obstante ipsius appellatione, Curie seculari est tradendus.

Quæ-

Quæres *decimò*. Quid si quis malè extractus, aut ex loco asyli extraditus fuit?

ꝛ. Si quis vi aut timore injustè incusso, vel fraude aut dolo per Judicem commissio ex loco malè extrahitur, aut extraditur, per eosdem, qui injustè extraxerunt, loco asyli iterum est restituendus. *Can. miror. 8. caus. 17. q. 4. ibi: Ecclesia illasum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti.* Ex Regula Generali: Spoliatus ante omnia est restituendus. *Cap. conquerente. 7. de Restitut. Spoliator.*

Quæres *undecimò*. Quam pœnam reum è loco asyli extrahentes incurrunt?

ꝛ. Ipso facto incurrunt excommunicationem, à qua non nisi à Summo Pontifice absolvi possunt, ut sæpius declaravit S. Congregatio, & constat ex decretis Clement. VIII. & Pauli V. per quæ omnibus confessariis prohibetur, à casibus violatæ immunitatis Ecclesia-

sticæ localis Violatoribus absolutio- nis impendere beneficium, nec absolutio hujusmodi violatoribus dari potest, aut data valet, nisi restituto reo, & præstitâ Ecclesiæ læsæ satisfactione. *Cap. qua fronte. 25. de Appellat. cap. cum desideres. 15. de Sent. excomm.*

Quæres *duodecimò*. Quinam in specie hanc incurrunt excommunicationem?

ꝛ. Non tantùm, qui aliquem etiam excepti criminis reum in loco asyli existentem capiunt, extrahunt, incarcerant, &c. Aut capere & extrahere attemptant; sed etiam talia fieri jubentes localem Ecclesiæ violant immunitatem, pœnâque violationis incurrunt; ut enim dicitur in constitutione Gregor. XIV. pœnas juris ipso facto incurrunt, qui contra tenorem constitutionis aliquid attentare præsumpserint.

* * *

